[redacted] 2 d. Supplem.

IN P. RAMI, REGII PROFESSORIS CLARISS. DIALECTICÆ LIBROS DVOS LVTETIÆ ANNO LXXII. POSTREMO SINE PRAELECTIONIBVS ADDITOS, EXPLICATIONVM Quæstiones: quæ

PAEDAGOGIAE LOGICAE DE DOCENDA DISCENDAQVE DIALECTICA.

PARS PRIMA.

Friedrich Beurhusius

Auctore
FREDERICO BEVRHVSIO
Menertzhagensi Scholæ Tremoniana Prorectore.

LONDINI
Ex Officina Typographica
Henrici Bynneman.
CIↃ. IↃ. LXXXI.

Cum serenissimæ Regiæ Maiestatis Priuilegio.

Phil 5041.115

ΦΙΛΙΠΠΟΣ Ὁ ΦΑΒΡΙΚΙΟΣ ΜΑΡ-

κοδουρανεὺς εἰς τὴν λογικὴν.

Ζείδωρος λογικῆς ὦ παῖδες καρπὸς ἀρούρας,
Ἕρκος νητρεκίης, ἠδὲ μίμημα λόγου.
Παισθενέος λογικὴ ζαθέη δόσις ἐστὶ θεοῖο
Σπινθήρων φύσεως πρόξενος, ἠδὲ τροφὸς.
Χειρθείας σοφίας καὶ τεχνέων ὄργανον οὖσα
Τοῖς ἀπὸ πιερίδων ἡ παρήχουσα φάος.
Τὰς πίστεις εὕρει, διατάττει πάντα τε ὄρθως
Καὶ κρίσεως τεθμοῖς σύζυγα παστυδίη.
Τοῦ σφαλεροῦ φαίνει ἅμα λοξὰ σοφίσματ' ἐλέγχου
Τάξεος ἐργάτις γ', οὐ πότε συγχύσεως.
Τῆς γλαφυρᾶς μεθοδοῖο πόρος περιέξοχος ἐστὶ
Ἑρμέω ῥάβδου τοῖς ἀλάοισι δικήν.
Τῆς δίχα παιθελγεῖς μοῦσαι λιποφέγγεες εἰσὶ:
Οἱ λογικῶν αἴδρεις πολλὰ πάρεργα γράφει.
Ἐσσυμένως οὖν χρὴ λογικῆς παιδεύμασι χρῆσθαι:
Ἡ δὲ χαρίζεσθαι ἀνδράς ἐπισταμένοις
Χρηστὰ μὲν ζώουσιν ἁήδονες ὄλβιαι αἰεὶ
Ὑμνοπόλοιο ἄτερ γ' ὄλβιαι Αονίδες.

REVERENDO NOBILITATE GENERIS,

PIETATE ET ERVDITIONE CLARISS. D. Frederico Furſtenbergh ſummæ Moguntinenſis ſedis, Atque Eccleſiarum S. Petri & Sancti Albini ibidem Canonico digniſsimo, Patrono ſuo & Mecœnati benigniſsimo S. P.

ANNI *ſunt circiter viginti, Reuerende & Nobiliſſime domine, benigniſſ. Mecœnas, ex quo in eas artes, quibus beneficentiſſ. Deus mentem & linguam hominis inſtaurari voluit, diligentius incubui: atque earum tum perſpicuam diſtinctamq; explicationem, tum facilem vtilemq; exercitatione accuratius cœpi è præſtantibus auctoribus obſeruare. Quo enim tẽpore Nobiliſſ. veſter, piæ memoriæ, pater Fredericus Furſtenbergh, Reuerendiſſ. Archiepiſcopi Colonienſis, Electoris &c. Conſiliarius, & prouinciarum Bilſtin, Waldenburg & Friedburgh Satrapa, prudentia & vigilantia clariſſimus (quem, vt debeo, honoris cauſſa ſæpe & libenter nominare ſoleo) vobis tribus*

fratribus, suis filijs priuatum tum in Schola particulari, tum in publica Academia instituendis me præfecit, eo intellexi omni mihi ope atque opera enitendum esse, vt tandem è Scholis vos prodiretis, non solum ingenij & linguæ formatione eleganter litterati, verumetiam virtutum splendore & morum institutione bene morati. Itaque tum illo priuatæ institutionis curriculo, quo vos ab infimis classibus ad supremas emersistis, & inde ad Academiam egressi summos studiorum honores adepti estis, tum hoc publicæ prælectionis spatio, in quod ante quatuordecim annos sum ingressus, operam semper dedi, vt artes præcipuè Sermonis & Rationis, præceptorum quidem finibus à præstantibus viris legitimè distinctas, & ipse cognoscerem & alios docerem, vsu autem naturali coniunctas in omni etiam meditationis genere coniunctim exercerem. Hæc enim antiquissima nobilissimaq; primorũ Patriarcharum institutio, & Socratica Philosophiæ cum eloquentia coniungendæ ratio est: quam vt in hac celeberrima Ampliss. Senatus P. Q. Tremoniani Schola, ducibus clarissimis Præceptorib. nostris, iurisq; Doctorib. D. Ioanne Lambachio nostro etiamnum Gymnasiarcho vigilantiss. & D. Bernardo Copio, tum ab eo secundo, nunc autem Supremi iudicij Hassici assessore & in celeberrima Academia Marpurgensi Professore ornatiss. me vnà vobiscum suscepisse grato animo profiteor: ita eandem hactenus qua potui fide & diligentia excolui, & iam octauum annum in hac eadem Schola, magno quidẽ labore, & nõnullo etiam, vt spero, iuuentutis commo-

do

do propagare ſtudeo. Cùm igitur P. Rami ſummi, optimiq; Philoſophi & Oratoris, veteriſq; Academiæ, & Ariſtotelicæ exercitationis aſſertoris ſtudioſiſſimi, Dialecticæ, ad veterem illam diſciplinam conformatæ libros aliquoties priuatim, publiceq; explicaſſem, atque præcepta illa tum ad ingenia diſcentium acuenda cum alijs comparâſſem, tum ad exercitationem conformandam illuſtrium exemplorum, quæ ideò ex bonis auctoribus notare ſoleo & in hunc vſum ſeponere, analyſi, & nouorum Geneſi illuſtrâſſem: non deſtiterunt, iam aliquot annis diſcipuli præcipueq; pædagogi priuati à me depoſcere, vt hæc noſtræ inſtitutionis dictata præſertim ad poſtremam omnium editionem verè Cygneam P. Rami cautionem iam accommodata, iuuenilis præcipueq; priuatæ inſtitutionis iuuandæ gratia, in vulgus ederem. Quib. ego etſi ingenuè reſpondi, illarum commentationum me ſcedulas tantùm vix inchoatas & rudes, imò in Muſæo diſſipatas ac diſſolutas habere, quas ſi maximè per tempus & quotidianas occupationes, colligere queam & perpolire, eo tamen loco & numero non habeam, vt eas in apertum referam, attamen vt deſiſterent, & eiuſmodi aliquid à doctioribus exſpectarent, perſuadere non potui. Quare cùm hanc rudem & puerilem inſtitutionis rationem non modo humaniùs à me poſtularent, ſed acriùs etiam & quaſi ſuo iure flagitarent: tandem cùm me etiam puerilium ſtudiorum adiutorem atque adminiſtrum à Deo conſtitutum recordarer, tantum eorum petitionib. conceſſi, vt me obſeruationes illas collecturum, atque de ijs cum

quibusdam doctis viris deliberaturum promitterem. Quod cùm fecissem, atque eas à viris tum in logicis benè exercitatis, tum à cæteris disciplinis non malè instructis haud improbari intellexissem: tandem priuatæ præsertim institutionis rationes reputans, hæc non eruditionis alicuius monumenta, sed pueritiæ erudiendæ rudimenta, rudia illa quidem necdum satis perpolita, sed tamen expetita & efflagitata, discipulis nostris, cæterisq; quibus prodesse possint, hactenus impertiui, vt iys vtantur donec ab alys meliora, aut hæc ipsa emendatiora (quod futurum spero) consequantur. Quare cum huic operi quod in tres partes, & has in bonos libros digesseram, Patroni scriptorum omnium consuetudine quærendi essent: vos tres nobiliss. fratres, germani ac mutuo fraternoq; amore verè fratres, patroni trium huius operis partium splendidiss. statim mihi cogitanti (quòd vestri memoriam nulla possit ex animo meo delere obliuio) in mente & ante oculos obuersati estis. Nam quæ res faciunt vt semper vestri memoriam præsentem retineam, eadē vobis hos nostrorum studiorum fructus etsi immaturos, non tamen ingratos fore, ideóq; clariss. nominis vestri præsidio tutiores atque ornatiores in manus hominum venturos esse penitus mihi persuadent. In his autem præcipuè numerantur tum ornatiss. vestræ splendidiss. familiæ nomen, quod vt principes viri referunt, ita etiam maximi principes complectuntur, tum parentum vestrorum verè nobilium (quorum alter hinc à Christo ad cœlestem patriam est euocatus, alteram Deus in sui agnitione superstitem, diu in-

incolumem tueatur) ſumma humanitas, qui me non vt miniſtrum, ſed ſuorum liberorum præceptorem valdè honorificè habuerunt, tum denique veſtra ſumma cum laude coniuncta virtus, quàm non modò olim in Muſarum caſtris veſtris præceptoribus mihiq; pœdagogo modeſta vita, & obedientia, atque aſſidua attentione & diligentia excellenter probaſtis, verùm nunc etiam in luce Reipub. præclare tum publica negotia obeuntes, tum litteras litteratoſq; complectentes magna cum admiratione & laude exercetis. Itaque vt hic etiam ordo ſeruetur, Reuerende D. Frederice, Mecœnas optime, hanc primam partem, quæ tibi ætate & nomine primo humiliter dedicatur, cumq; tui nominis inſcriptione diuulgatur benignè quæſo pro tua humanitate accipias. Nam ſi tuo Clariſſimo mihiq; coniunctiſſ. nomine hoc ſocium nomen in Clientelam tuam receperis, haſq; primitias auctoritate tua & beneuolentia comprobaueris, induſtriam meam fauoris tui aura proſequens excitabis, & ad rei litterariæ, vt per Dei gratiam confido, vtilitatem adaugebis. Quod vt fiat, Deus te ſuo fauore & beneuolentia ita cõplectatur, & tueatur vt te diu incolumem & beatum videamus, Vale. Tremoniæ ex Muſæo noſtro Nonis Martij, Anno à Chriſto nato CIↃ.IↃ.LXXV.

Reuer. & nob. Dignitatis tuæ Obſeruantiſſ. Frede. Beurhuſius Prorect.

FREDE. BEVRH. DISCIPVLIS S.

HÆC, discipuli Carissimi, in P. Rami Summi præstantissimiq; Oratoris & Philosophi, artiumq; Instauratoris acutissimi, logicam omnium postremò editam, dictata ex ipsius atque Talæi bibliothecis conquisita, vobis sedulò efflagitantibus, tandem, vt ad studia vestra aliquid adiumenti adferamus, libenter impertimus. Doletis vehementer P. Ramum, mandato regio liberales artes Latinè persequentem & Gallicè conuertentem, Lutetiæ, cùm iam tres primas recognouisset atque in Germaniam ad Clarissimum D. Ioannem Thomam Freigium misisset, omnium truculentissima sæuissimæ tempestatis iniuria oppressum esse: quod vt ipsi pessima pro immortalibus meritis gratia sit relata, sic literaria Respub. diuinis monumentis, quæ ipsum præter Mathematica aliâs edita, etiam in Ethicis & Physicis, affecta habere audieratis, maximo cum suorum studiorum detrimento sit spoliata. Agite igitur, virum diuinum vestrorum studiorum immortalitate (hos enim tantum honores desiderat) consecrate, atque in ea ipsius ingenij clarissima monumenta, quæ vobis clementissimus Deus integra conseruauit, sic incumbite, vt hoc auspice, & ducibus illius artibus, veræ eruditionis laudem consequamini. Quod si feceritis, atque etiam ex his nostris aliquam vtilitatem vos capere senseritis: Christo aspirante non modò secundam partem de præceptorum exercitationisq; comparatione, & tertiam de Analysi & Genesi logica hac ætate vobis dabimus, verumetiam quæ in Rhetoricam tribus partibus adumbrauimus, insequentem annum perpoliemus. Valete, vestraq; studia diligentissimè curate. Ex Musæo nostro Nonis Martij, Anno

CIↃ IↃ LXXV.

IN

IN PÆDAGOGIÆ LOGICÆ PARTEM PRIMAM PROOEMIVM.

Pædagogus. *Discipulus.*

QVONIAM id tuo rogatu suscepi, vt tibi priuatim, quæ de disserẽdi veritate quotidie ex præceptoribus cognosceres, repetendo inculcarem: age nunc primùm, si videtur, ego te de P. RAMI, summi optimíque Oratoris & Philosophi, Dialecticæ, in quam incumbis, præceptis eorúmque explicationibus percontabor: deinde ea quæ vspiam difficiliora sunt & discrepare videntur, seorsim inquiremus, modestéque comparabimus: tandem vniuersum penè artis vsum per illustrium exemplorum Analysin & Genesin, in quibus omnis vis disserendi, & rerum copia cernitur, mutuis quæstionibus adumbrabimus. DISC. Sane mihi isto studio nihil iucundius accidere queat: quo & quantum in arte omnium artium principe perdiscẽda profecerimus, quídque de præceptis vspiam dissidentibus sit sentiendum; & denique quemadmodum vera tam nobilis artis exercitatio commodè suscipiatur, vtilitérque teneatur, saltem pro nostra virili parte experiemur. Te enim memini in studijs conferendis sæpe dicere, non quidem esse humilitatis nostræ controuersiam inter summos Philosophos, de discrepantia quæ in artium præceptis apparet, disceptare & componere; sed esse tamen libertatis scholasticæ, præ-

Propositio triplex.

1.

2.

3.

ceptis tum simpliciter explicandis, atque etiam collatis disputationibus cõparandis, tum præstantium exemplorum, vnde ea nata sint, vsu tanquam iusto & legitimo eorundem censore explorandis, verum artium conformationem, & vsum, si non iudicare, saltẽ modestè indagare. PAED. Quod igitur DEVS felix & faustum velit, quod proposuimus, id auspice aspirantéq; DEO, duce Natura & arte, comite deniq; Experientia persequamur. Et quoniam in vniuersa hac institutione, sæpe nobis erit ad artium principia & quasi fundamenta respiciendum: ego in hoc repetitionis ingressu de Artium principijs, progressu, & legitima conformatione te quædam interrogabo. D. Rectè mones, præsertim cùm quosdam videamus non tam certis rationibus & fundamentis niti, quàm auctoritatibus pugnare. P. vt igitur quasi à capite hanc inuestigationem arcessamus:

Quibus rationibus humanum genus tum ab æterno exitio, tum ab erroribus & ignoratione vindicatur?

Caussæ salutis.

Ex immensa DEI misericordia *primùm* solius Christi merito ab impietate & exitio ad veram pietatem & salutem instauratur: deinde secundum singularem Dei afflatum, tum *Naturæ* adiumentis, & assiduo *Exercitationis* sudore, vnde homo expertus; tum *Artium* inde conformatarum perceptione, vnde etiam doctus nominatur, à reliquis Mentis & Linguæ erroribus, ignorationéque ad sermonis elegantiam, Mentis sapientiam aliquam, & denique ad politiorem humanitatem vindicatur.

Politioris humanitatis.

Quæ nam dicis Naturæ prorsus depravatæ adiumenta?

Naturæ adiumenta.

Ea quæ tum in Corpore, tum in animo tanquam magnificentissimi ædificij abiecta rudera reliqua sunt, insita primáque nostræ cognitionis principia. vt enim nec Sermo corporísque sensus, ita nec Animi facultas penitus extincta est: sed & illius quædam vires, & huius paruæ scyntillæ, sic Deo iustum suum iudicium moderante, ad æquitatem aliquam inter homines colendam, humaníque generis, vnde Ecclesia colligeretur, societatem conseruandam reliquæ factæ sunt. Hæc igitur adiumẽta excitata, & à præstantibus præcipuè hominibus diligẽtia rerumq; experien-

tia magis exculta, fructus paulatim vberiores ediderunt: quorum maximè insignium obseruatione deinceps certæ artes & disciplinæ genitæ sunt, quarum perceptione homines redduntur prudẽtiores, commodiores & doctiores.

Quæ igitur in Corpore prima cognitionis principia?

In Corpore sensus sunt quinque: qui tanquam ministri & internuntij Animo subiecti, ad eum, quæcunque sub ipsos cadunt, deferunt. Sensus.

Quid? An in sensibus aliqua cognoscendi facultas?

Quidni? Sensus omnia indiuidua & singularia, quæ sub ipsum tantum veniunt, primum percipit, & iudicat: vnde non modo σύμφυτος, sed etiam κριτικὴ δύναμις nominatur.

Quomodo mens sensum opera percipit?

Mens ipsa, princeps vitæ nostræ, primùm se in his exercet, quæ à sensibus deportantur: quòd, cùm indiuidua, quæ verè existunt, infinita sint, eorum per sensus quasi impulsione notiones tum singulares, tum communes Inductione ad singula accommodata concipiat; quibus porro tanquam prælucentibus facibus ad reliquam infinitam singularium multitudinem cognoscendam per Rationis quendam discursum vtatur. Hinc vt quisque plurima vidit, audiuit, sensúque alio cognouit, ita peritissimus esse dicitur: & philosophi omnem nostræ scientiæ originem à sensibus pendere confirmant; quod nihil sit in Intellectu, quod non quodammodo in sensu ante fuerit. Sic Cicero nominatim 1. de fini. Quicquid porro animo cernimus, id omne oritur à sensibus. Atque inde Aristoteles etiam, Cuius rei (ait) sensu destituimur, eius etiam nos doctrina deficit.

Quid, si quæ res sub sensum non veniant?

Earum saltem externæ imagines, exempla, seu effecta & fructus in rebus sensilibus apparent: vnde Mens de ipsis iudicat.

Quæ porro in animo principia Cognitionis & hinc Actionis. 1.

Intelligentia, & Voluntas. Animus.

1. *Quæ Intelligentia?*

Intelligentia est Ratio ipsa, diuinitùs Mentibus insita, ideóque

Intelligentia, seu igniculi.

ideóque συμφυτος δύναμις congenita facultas omnia perspiciendi & iudicandi, veráque à falsis, Consequentia ab inconsequentibus, & ordinem denique à confusione distinguendi: vnde etiam ἀρχὴ διακρίνουσα principium scientiæ nominatur. Mosi summo & sacro Philosopho est λογεῖον, & pectorale sacerdotis; Aristoteli νοῦς Intelligentia, Ratio, Mens ipsa: quæ est Naturalis Dialectica, prima & Artificiosæ & cæteratũ artium omnium Regina & Magistra: aliquando προηγοῦμένη γνῶσις antecedens cognitio, propter vim cogitandi & Intelligentiam ordinis.

Quæ eius vis & ratio in cognoscendo?

Distinctio facultatis cognoscendi, à notioribus cõprehensis.

Est naturale lumen ratione vtendi, inueniendo & iudicando: quo animus notitias rerum necessarias & vniuersales non informatas à natura ipsa adfert, sed colligit facultate intelligentiæ sibi naturali & ingenerata. Nam ὡς ὄψις ἐν ὀφθαλμῷ, νοῦς ἐν τῇ ψυχῇ, vt visus in oculo, sic intelligentia in animo: vtque oculus colorum species ex vtero matris non attulit, sed aciem facultatémque naturalem omnia colorata cernendi: sic animus non ἕξεις habitus notionum, sed δυνάμεις facultates insitas attulit. Sed certè maximum hoc lumen est, quod vniuersum generale, totum, nullísque finibus terminatũ, omnia quæ possunt ab hominibus cognosci & intelligi, suis radijs illustrat, cognoscit & intelligit.

Quot eius vires præcipuæ?

Partes.

Duæ; vna inueniendi, altera iudicandi: tertia mentis actio in ratione vtendo & differendo nulla est. Has Moses notis Vrim & Thumim in pectorali sacerdotis designauit:

Exod. 28.

quarum illa splendorem mentis lucémque ad cogitandum & perspiciendum; hac ordinis accurationem & perfectionem ad integrè incorruptéque iudicandum significauit. Schec. Ram.

Quomodo igitur ad cognoscendum applicatur?

Mens sua vi semper viget & ad intelligendum rapitur: ideóque vt oculorum acies ad videndum, sic mentis acumen ad intelligendum intenditur.

Quomodo in percipiendo progreditur.

Ordo cognoscendi.

Ipsa inuestigandi, iudicandíque facultate tanquam prima notitia instructa primùm ad rerum singularum sensum adhibita

adhibita Memoria etiã notiones singulares, & inde mox vniuersales formas simplici apprehensione colligit : deinde notiones plures coniungit, quas vel affirmando negandóue statim æstimat, veram aut falsam sententiam intelligens, vel dubiam mentis discursu & ratiocinatione disserit, consequentiam efficiens. Atq; ita paulatim notiones communes ex singularium sensu conceptas, ad incognitam singularium (quæ quòd gignantur & intereant, infinita sunt) multitudinem applicat; & sic Consequentia colligit, pugnantiáque distinguit. Si quid autem de communibus dubitetur, singularium censor sensus adhibetur.

Quid est Notio?

Notio est actus Mentis & intellectus pingens Rei imaginem : vel, est rerum imago in animo hominis informata. *Notio.*

Quæ sunt notionum subiecta?

Res, earúmque Dictiones; eæque Simplices & Coniunctæ : quanquam & eorum quæ non sunt fictæ notiones colligi possunt.

Quid est res vel Ens?

Quod reuera existit, siue animo & ratione intelligatur, siue sensu, qui rationis expers est, percipiatur. Illa intellecta vel incorporea, hæc corporata appellatur. *Res.*

Quid est dictio?

Nota qua quæque res significatur : Aristoteles σύμβολον dicit, Cicero notam conuertit. *Dictio.*

Quotuplices inde notiones colliguntur?

Duplices : Primariæ & secundariæ, eæque tum simplices, tum coniunctæ.

Quæ primaria?

Primaria seu singularis, qua cuiúsque rei natura per se, suáque propria voce secundum rei significatæ conuenientiam, & sic Vocis significatio intelligitur : vt, Homo, Iusticia, Iustitia est expetenda.

Quæ secundaria?

Secundaria est communis, vniuersalis seu artificiosa, qua vel rei affectio seu respectus ad aliam, vel Dictionis adsignificatio & artificiosa quædam significatio intelligitur,

vt

vt Homo Ispecies, Animal genus, &c: ex quibus coniunctis fiunt artium præcepta.

Vnde oriuntur notiones & affectiones illæ?

Ex singularium sensu, vt ante dictum, notiones concipiuntur, & hic porrò affectiones respectúsq; naturæ vi intelliguntur.

An non sunt à Natura ingeneratæ animis nostris notitiæ & ideæ?

Etsi in mentibus quædam notitiæ reliquæ esse, & sic à natura ingeneratæ, nec à sensibus acceptæ videantur, quæ sint virtutum & doctrinarum præsertim Logicæ semina quædam: attamen si consideres acutius, reperies à sensibus occasionem oblatam esse Menti & sic excitatam communem illam intelligendi vim, vt inde generalia illa constituerentur. Sic Arist. 18. cap. 2. post. differit, Principiorum ἕξεις, i. γνώσεις cognitiones & informationes per sensus, inductionem, memoriam, ratiocinationem & experientiam comparari. Et in summa ipsa *Ratio*, quæ Naturalis Dialectica, vis inueniendi, & formis iudicandi nonnihil instructa sola videtur ingenerata esse, quæ à sensibus excitata cęterarum artium semina ex suis fontibus paulatim gignat & constituat.

Quæ κοιναὶ ἔννοιαι communes notiones dicuntur?

Eæ quæ communi Intelligentia de Deo, virtutibus & vitijs intelliguntur: quæ cum insitæ à natura dicuntur, de ipsa communi Intelligentia mentísque facultate dici etiam videntur. Cicero insitam à natura animis nostris, & ante perceptam cuiúsque formæ non satis explicatam, ideoque enodationis indigentem cognitionem appellat.

Sic igitur homines à sensu primo eruditur: ísque primus præmonstrator & magister est: post ætate & vsu ad vniuersalia peruenientes redduntur experti.

2. *Quæ porrò* Voluntas?

Voluntas. Voluntas est ὄρεξις καὶ βούλησις appetitio & cupiditas cognoscendi & sic cognita exercendi: sine qua intelligendi facultas langueſceret, & intellecta sine fructu iacerent. Studia enim discendi voluntate cónstant: hebetésque & indociles secundum naturam pauci eduntur: negligentia autem,

tem, praua educatione & contumacia multa illustria ingenia miserè perduntur. Quint. lib. 1.

Quomodo Exercitatione homo eruditur?

2. *Exercitat.*

Exercitatio tum Naturæ vires in opus educit, tum easdem crebra exemplorum imitatione & effectione excolit atque adauget. Hinc vt quisque plurima sensibus cognouit, & sic exercuit, ita peritissimus dicitur. Sic naturali facultate & exercitatione plurimi sapienter disseruerunt, benè loquuti sunt & ornatè dixerunt, antequam artes illæ descriptæ essent, aut qui eas non didicerant. Vsus enim homines reddit expertos ac prudentes, ideó que & artium Magister constituitur.

Sed quoniam hæc adiumenta sine artis perceptione tantum reddunt hominem expertum: quæ deinceps ARTIS *præsidia, vt doctus etiam efficiatur?*

II. *ARS.*

ARS est dux certior quàm Natura: quæ ex infinita singularium multitudine certis principijs & legibus paucas vniuersales notiones & præceptiones ad hominem docilem erudiendum complexa est.

Quid est Ars?

Def. Artis.

Ars est comprehensio præceptorum in rebus æternis propriorum, & ordine dispositorum, ad vtilem vitæ finem spectantium. Sic enim apud Lucia. definitur: σύστημα ἐγκαταλήψεων ἐγγεγυμνασμένων πρὸς τὶ τέλος ἐυχρηστον τῶν ἐν τῷ βίῳ. Coaceruatio multarum de vna re perceptionum vsu & exercitatione collectarum, ad finem aliquem vitæ vtilem accommodata.

Cic. Acad. 3. & de Orat. 2.

Vt causas ex Defi. eruamus, quæ Efficientes artium?

DEVS, & secundum ipsum sapientes homines: quibus singularem etiam artium instaurandarum facultatem afflauit.

Quos primos existimas artium inuentores extitisse?

Adamum, eiúsque nepotes: quòd nulla ferè ars sit, quæ non videatur ab Hebræis inuenta, & sic per manus ad posteros propagata. Nostra autem memoria omnes maximè excultæ, & legitima conformatione atque illustribus exemplis plurimùm sunt illustratæ,

Quibus

Quibus adiumentis in artibus confirmandis vsi sunt?

Logica tum naturali tum paulatim artificiosa,& vsu. Illa enim Regina & Magistra artium, hic Inuentor, Censor, Moderator & Corrector nominatur: illa facultatem & vires,hic fructus & sic Materiam præstat. Et quoniam in vno aliquo homine aut paucis omnia aut Rationis,aut Sermonis exempla perfecta esse non possunt: vsus hîc vniuersam omnium excellentium hominum consuetudinem inspiciendam offert.

Quæ igitur hic Naturalis Logicæ facultas?

Ea quæ supra exposita est, quòd tum naturali inueniendi & iudicandi efficacia, tum anteceptis notionibus instructa artium documenta colligat & iudicet.

Quæ artificiosæ?

Illas inueniendi vias,& iudicandi formas, vt in vsu emicant,certis præceptis informare.

Quæ vsus vis & efficientia?

Exemplorum Copia & multitudine Artium Antitypos adumbrare: ad quorum imaginem illæ ita pingantur, vt nihil aut prætereatur, quod in vsu deprehendatur; aut in arte pingatur,quod in vsu desideretur.

Quomodo igitur & Logica suas vires exercet & vsus illi fructus conquiruntur?

Principia & Leges. Naturalis Intelligentia quia à sensibus excitatur, & vniuersalia eorum opera colligit, hîc quædam Artium principia, & Leges,tanquam inueniendi & explorandi instrumenta,atque documentorum κριτήρια suggessit,quæ in arte Logica suo ipsorum iudicio stabilita collocauit.

Quæ vocas principia?

Principia. Prima Artium formandarum & demonstrandarum instrumenta: quæ ideò documentorum Inuentrices & Disceptatrices rectè nominantur; quod vt illis colliguntur & conformantur, sic ijsdem demonstrantur, explorantur & exercentur. Atque inde exstructa artium documenta etiam Principia nominantur, quòd aliam, quàm insignium exemplorum, lucem nullam requirant.

Quæ igitur sunt illa principia?

Hæc-

παραδείγματα exempla, & quæ in his verſantur αἴσθησις, ἐπαγωγή, ἱστορία, ἐμπειρία, ſenſus, Inductio, Obſeruatio, Experientia: quæ ad locum Diſtrib. & Teſt. pertinent. Ariſt. 14 ca. 1. Poſt. & 1. ca. 1. phi. Huc pertinet aureum dictum Poli in Gorgia Platonis: ἡ μὲν ἐμπειρία τέχνην ἐποίησεν, ἡ δὲ ἀπειρία τύχην. Experientia quidem artem genuit, Inexperientia autem temeritatem.

Quo fundamento illa principia probas?

Hoc Ariſtotelico: Cùm omnis doctrina ſeu ſcientia ex vniuerſis reb ſeu inſtitutis conficiatur: vniuerſæ autem res, tametſi animo concipiantur, tamen reuera in ſingulis conſtent: ideóque inductione colligantur: Inductio verò ex ſingularibus progrediatur, quæ res ſingulares non niſi ſenſus adiumento percipi poſſunt: certè conſequens eſt, quarum rerum notitia per ſenſum comparari non poſsit, earum nec Scientiam conſtare poſſe. Ergo omnis ſcientia à ſenſibus orta eſt, nullúmque in artibus documentum eſt recipiendum, quod ab vſu & experientia verorum exemplorum obſeruatum & inductum non ſit.

Quomodo illa principia adhibentur?

Non ſenſus tanquam Magiſtri & doctores vllam ſcientiam docuerunt, ſed diligẽtes & ſtudioſi homines ſenſilium & ſingularium exemplorum per ſenſus Inductione artes omnes inuenerunt. Sic. n. vniuerſalia documenta à ſenſibus profecta, i. variarum rerum inductione & memoria, ratione & experientia collecta ſunt. Et rurſus ſi quid ſit in Artibus præceptum, quod vniuerſalem illius experientiæ vſum non habeat, id Commentitium, temerarium, & ſophiſticum iudicatur, vt quod ab vſu humanitatis alienum ad quæſtionariam ſophiſticam ab otioſis hominibus excogitatum ſit.

Quas Artium formandarum Leges dicebas?

Eas, quibus tũ Materia, tum forma earundem iudicatur. *Leges.*

Quæ ſunt de Materia?

Tres Enunciati Neceſſarij & ſcientifici affirmati Notæ ſeu Circumſtantiæ: κατὰ παντὸς, καθ' αὐτό, & καθόλου πρῶτον. Sic enim omnia legitima documenta artium debent eſſe primò De omni. i. Omnino neceſſarióque vera; deinde *De Materia.*

per se, i. homogenea & suæ arti tantum cognata; tertiò vniuersaliter prima, i. reciproca, catholica & propriè enunciata. Vide Axiomata suo loco.

Quæ Materia Artium?

2. *Materia.* Materia est in Præceptis: quæ de rebus artibus subiectis ex vsu principiorum obseruatione collecta ad propositum finem diriguntur, atque ab artifice in rebus ipsi propositis exercentur.

Est idem Artis & Artificis subiectum?

Subiecta. Non: Cùm. n. res illæ sint æternæ, in quibus artium præcepta depingendis versantur, vsus autem ad humanam vitam, in qua variæ res occurrunt, pertineat: Arti rem omnino certam, quam necessarijs præceptis interpretetur, Artifici res quaslibet, quas præceptis informatis tractet, proponi intelligimus. Sic Grammaticæ Sermo, Rhetoricæ Ornatus orationis, Dialecticæ Ratio seu naturalis rationis vsus præceptis describendus proponitur: Artifex autem præcepta in qualibet re, ratione, vel oratione tractanda exercet.

Quæ Leges de Forma artium communi?

De forma. Ea vnica est Lex Methodi generalis & vniuersalis: quæ tribus verbis continetur NATVRA PRIVS PRAECEDAT: vide Methodum.

Quæ Forma Artium?

3. *Forma.* Ea duplex est, vna singulorum præceptorum, scilicet vt sint tribus illis Legibus æstimata; hoc enim est, in rebus æternis propria: altera vniuersorum, vt ordine Methodico sint dispositа.

Quis finis artium?

4. *Finis.* Vt ad vtilem in vita humana vsum referantur; qui deinceps proprius cuique propositus est, quo definiuntur & distinguuntur: eúmque is consecutus dicitur, qui præstat, quod artis finibus continetur. Vsus autem in Exemplorum tum factorum Analysi, tum nouorum Genesi consistit.

Quæ Analyseos & Geneseos præcepta?

Analysis. Genesis. Eadem quæ ipsius Artis: ijsdem enim legibus retexi-mus aliena, & nostra componimus. Atque ita Præcepta vt ex illustrium exemplorum obseruatione nata sunt; ita eorundem

rundem analysi & experientia explorantur & vsus nouorum Genesi ad eadem exigitur. Vsus autem rursus etiam illis principijs gubernatur.

Quod discrimen inter illa Principia & Leges?

Vtraque principia quidem dicuntur: sed Principia Obseruationis natura propriora sunt, & Inuentionis præcipuè Instrumenta, Leges posteriores vtpote ab ijsdem obseruatæ & confirmatæ Iudicij regulæ. Leges certas normas documentorum præscribunt, quemadmodum ea affecta & collocata esse debeant: Principia ab exemplis documenta colligunt, & collecta rursus vsu explorant, tãquam Censoris instrumenta. *Discrimen.*

Breuiter igitur mihi artium conformandarum rationem adumbrato.

Conformantur Inuentione & iudicio logico. *Artium conformatio.*

Inuentio & materies est ex Caussis, Effectis, Subiectis & Adiunctis: vnde earum definitiones, Distributiones, explicationes denique proprietatum, & propositiones. i. Regulæ omnes fiunt: è quorum etiam & Oppositis, & Comparatis quædam aliquando assumuntur. *Inuentio.*

Iudicium primùm est præcipuè Axiomaticum seu Noëticum singularum regularum scientificarum & artificiosarum, vt ex inductione specialium collectæ definiantur, distribuantur & insignibus exemplis illustrentur. Attamẽ si vspiam quædam obscuræ & dubiæ veritatis fuerint, vt syllogistica assertione & conclusione demonstrentur. Postremò vt vniuersorum forma methodicè ab absolutè notioribus, id est, vniuersalibus progrediatur. *Iudicium.*

An igitur Dialectica omnes artes complexa est?

Dialectica tanquam artium regina, quæ prę cæteris maximè efficacia & subiectæ materiæ ratione naturalis sit, nõ materias singularum artium suis finibus complectitur, sed generali Inuentionis et Iudicij facultate omnes omnino res et artes gubernat, certisque finibus distinguit.

Hoc declara origine & exemplis artium.

Sapientes homines naturalis dialecticæ lumine initiò vniuersitatem rerum intuẽtes, nomina rebus ex prima notione vel imposita cognouerunt, vel ipsi imposuerunt, quæ *Origo artium.*

ideo πρώτης τῆς θέσεως primæ institutionis & positionis appellantur; atque in vtrisque contemplandis ita versati sunt. Deinde cùm viderent Rationis vires ad omnes res & dictiones indagandas iudicandásque communiter pertinere, & orationis facultatem illis quasi ancillari: & illas Rationis Orationísque communes facultates; & Res ipsas, Morésque hominum Artibus quibusdam, quibus certior efficeretur promptiórque cognitio & facultas, distinguere conati sunt.

Quomodo eas distinxerunt & perfecerunt?

Inuentionis & iudicij facultate: Primum eas tum in Generales, nempe Rationis & Orationis, quarum facultas vt omnibus esset hominibus communis, ita etiam ad res omnes pertineret: tum in Speciales de Rerum naturis & Moribus; atque ita singulas rursus ex suis subiectis & finibus distinxerunt; deinde Præcepta de rebus subiectis principijs illis conquisita & legibus informata ad illos fines direxerunt.

Quæ singularum ex generalibus distinctio?

Dialectica Rationis naturalem vsum ad benè disserendum; Grammatica populi sermonem ad benè loquendum; Rhetorica Orationis ornatum ad benè dicendum dirigit. Sic de cęteris intelligendum, de quibus 2. par.

Quomodo præcepta de exemplis infinitis conformarunt?

Cùm nec Rationis singulares fructus, nec res verbáque singula possent nominatim in artes comportari: notiones communes seu vniuersalia genera ex affectionibus & cõmunibus proprietatibus collegerunt, quibus infinitã multitudinem complecterentur. Communes autem illas & secundarias notiones etiam ex ipsarum ratione & vi secundarijs nominibus, quæ δευτέρας τῆς θέσεως secundæ impositionis, appellarunt, qualia sunt in Dialectica, Argumentum, Caussa & effectum; Axioma, Syllogismus, &c. In Grammatica, Nomen, Casus, &c. In Rhetorica, Tropus, Figura, &c.

Non. sec. τῆς θέσεως.

Hoc paulò planius dicas.

Dialectica Cùm Mentis actio in ratione vtẽdo, sit Disserere; cáque inueniendo

inueniendo & collocando perficiatur: eius artem inde Dialecticam; & partes Inuentionem & Iudicium nominarunt: Et quia, quod inuenitur ad aliquid arguendum adhibetur; & illius ad hoc quædam est vel consensionis vel dissensionis *Affectio* seu respectus: hinc illud Argumẽtum, & huius genera ex illis naturalibus affectionibus distincta, Causſas & Effecta, & ita deinceps nominarunt: vnde fic res aliqua quæ propriè prima appellatione dicitur, vt Virtus, Homo, hac affectionis ratione dicatur Argumentum, & speciatim Causſa, vel Adiunctum, quod talem vim in vsu & disserendo habeat, &c. *artificiosa ad Nat. accom.*

Deinde quia Mens in iudicando vel noëticum facit iudicium, vt res coniunctè enunciatas statim intelligat, vel dianoëticum, vt vel dubiam sententiam per medium seu tertium quiddam probet, vel plures ordine collocet: ex his Mentis distinctis & diuersis affectibus ex diuersa actione & cognitione ortis duplex iudicium constituerunt, eiúsque genera nominibus affectibus & operationibus ills respondentibus, nempe primum *Noëticum* seu Axiomaticum, vel ab animi tali affectu & cognitione, nempe, νόησις vel à sententiæ ipsius dignitate & lucis propriæ claritate; alterum Dianoëticum à mentis quasi discursu & quasi commentatione tum in Syllogismo de Quæstionis dubiæ consequentia, tum in Methodo de multorum axiomatum ordine nominarunt. Atque hæc Naturalis & Artificiosæ Logicæ quædam adumbratio & collatio fuerit. *Iudic.* *Axiomata.* *Syll.* *Metho.*

Sic Grammatica non significationes Vocabulorum, sed vsum in benè loquendo. i. sermonem popularem & patriũ, i. significationibus notum, docendum suscipit. Itaque voces simplices Etymologiâ non ex ijs quæ significantur, sed tum ex ijs quæ adsignificantur vt sunt numeri, genera, gradus, casus personæ, tempora; tum ex vocum ipsarum finibus, vt sunt Declinationes, & Coniugationes interpretatur. Deinde Syntaxi structuram vocum ex ijsdem proprietatibus informat: in illis enim puritas sermonis consistit. Atque ita vocibus ex his communibus proprietatibus secundaria nomina, Nomen, Verbum &c. tribuuntur. Est autem παρασημαίνω vel συνσημαίνω adsignifico, præterea & se- *Gramma.*

secundaria ratione aliquid significo: vt Homo, significat prima notione, animal ratione præditum; secunda autem ratione dicitur Nomen, & adsignificat singularem numerum, &c. Grammatica autem adsignificationes docet; Dialectica significationes vna cum rebus è suis passim disciplinis & communi vsu inquirit, &c. Sic igitur artes primùm constitutæ, & paulatim auctæ sunt.

Quod igitur tandem P. R A M I in artibus informandis consilium?

Rami consilium.

Hoc ipsum quod hactenus exposui, vt ducibus illis Aristotelis principijs & Legibus tum Artes ipsas legitimè & distinctè informaret, tum earundem vsum naturalem, ab antiquissimis quidem in omni meditationis genere coniunctum, sed temporum iniuria quæstionaria sophistica, nimísque arida & spinosa distractione oppressum, exemplorum illustrium analysi & Genesi ad publicam vtilitatẽ rursus excitaret.

At verò ab Aristotele nimium discessit.

Ramus Aristoteleus.

Quemadmodum ille ab Aristotele discesserit, & non potius totus Aristoteleus sit, haud intelligo, qui tum omnem penè Logicæ materiam ex Aristotelis etsi temporum iniuria mutilatis confusis, magísque variè collectis quàm accuratè iudicatis libris, collegit, tum eiusdem voluntatem & sententiam certis eius ipsius principijs de artium conformatione expressam in arte describenda diligentissimè secutus est, vt parte 2. conferemus.

Quæ igitur in discenda eius Logica præcipuè spectanda?

Quom. Dial. Ram. discenda.

Artis conformatio, & Exemplorum ratio.

Quod spectandum in artis conformatione?

Quòd artem fecerit omninò generalem, quæ vt viua imago ex naturali benè differentium vsu expressa, cóque prorsus accommodata, omnibus omninò auctoribus omni loco aut tempore, & quauis ratione de quocunque proposito differentibus, æquali facultate differendi vias & rationes commonstret, atque æquè promptè suppeditet. Itaque vniuersas benè differendi rationes ab omnibus Logicis & Rhetoribus, qui quasdam inde riuulos in suam artem deriuauerant, atque omninò ex vniuersa bene differendi consuetu-

consuetudine conquisitas, logicè & vsui naturali legibúsque illis conuenienter exposuit. Inuentio igitur vna communis, iudiciúmque similiter commune. Necessitatis & probabilitatis distinctio in Enunciatis rectè ponitur.

Præcipuè notari debent Definitiones, & partitiones cæteræque præceptiones accuratissimè; vt Generales semper in speciebus intelligantur, & ad eas accommodentur. Vbique accuratissimè Naturæ Ordo obseruetur vt à Naturâ prioribus & simplicioribus ad posteriora & orta procedatur, nec temerè præcedentia repetantur aut fortuitis specialibúsque præceptiunculis & consilijs ars generalis cumuletur. In primis autem diligentissimè in generibus argumentorum distinguendis mutua AFFECTIO seruatur, vt quælibet affecta suo Generi commodè subijciantur, &c.

Quid in exemplis spectandum?

Exempla non abecedaria, aut conficta, aut ex sequentibus studijs vt Mathematicis obscura, sed ex medio illustrium auctorum vsu præstantissima & facilima adhibuit, vt & eorum Analysi præcepta demonstraret, & nouorum Genesi imitationem, omninóque vtroque genere vniuersum vsum adumbraret. In vnaquaque autem parte sui etiam generis sunt: sed in Inuentione notentur partim Nuda, partim collocata. Nuda, cùm affecta argumenta artificiosis nominibus nudè indicantur, aut sine certa collocatione proponuntur, vt, Ignis est caussa, vrit, effectus. Collocata vel Enunciata sunt, vel Syllogismi ex auctoribus ita deprompti: in quibus & affecta eius loci, in quo ponuntur, & alia illustrandi caussa accidentia spectentur. In Syllogismorum doctrina exempla integra & tractata ex auctoribus adfert, vt Analysis & imitatio discatur: sed eadem nudè retexit, vt iudicium appareat, &c. *Exempla.*

P. Sed his quasi præcognitis ad artem veniamus: in qua cetera dispiciemus.

P. RAMI DIALECTICAE LIBER PRIMVS DE INVENTIONE.

CAP. I. QVID DIALECTICA.

DIALECTICA *est ars benè disserendi: eodémque sensu Logica dicta est.*

QVAESTIONES EXPLICATIONIS.

Quod primum & generalissimum Dialecticæ Præceptum, & quæ eius ratio?

Vel: Quæ definitio Dialecticæ?

D*ialectica est ars benè disserendi.*] Definitio est à genere & forma, quæ est facultas benè ratione vtendi. Atque hoc vniuersale symbolum tum Caussas omnes essentiam vniuersúmq; artis statum constituentes comprehēdit, tum Subiectum, quod & Arti & Artifici propositum sit, communiter innuit; ideóque vt ex Lege καθόλου πρῶτον artem generalem generatim omnino generalibúsque vocabulis definit, ita ex Methodi lege præcedit.

Sed quia hæc de Artium caussis & subiectis enodationis indigent; Primum quæro quomodo Definitio caussas contineat?

Primum genus ipsum (*Ars*) caussas omnibus speciebus communes complectitur; quæ ex eius Definitione eruuntur, vt in proœmio declaratum: deinde Forma (*Benè disserendi*) proprias exprimit.

Caussæ communes.

Quæ igitur (vt breuiter repetamus) communes caussæ?

1. Efficientes, Deus, Sapientes homines, & hi adiuti Natura & vsu, cuius fructus instrumentis Inductionis & obseruationis collecti sunt, ideoque Dialectica naturalis & artificiosa & suijpsius & cæterarum artium omnium formandarum magistra est.

2. Materia, præcepta ipsa: 3. Forma, vt sint tum in rebus æternis propria & suis legibus æstimata, tum methodicè collocata. 4. Finis, vt ad vtilem in vita vsum referantur, quod est artium summum bonum: ídque tum Analysi alienorum,

alienorum, tum Geneſi nouorum exemplorum porrò cõſequimur. Nam omnium artium præcepta Analyſin & Geneſin ſuorum ſubiectorum informant.

Quomodo forma propriam cauſſas exprimit? *Propriè.*

Benè diſſerendi, ſignificat primò formam. i. propriam Præceptorum affectionem & facultatem ad benè diſſerendum appoſitam, qua Dialectica eſt id quod eſt, & à cęteris artibus diſtinguitur; deinde finem formæ coniunctum id eſt vſum eiuſdem artis proprium, qui eſt benè diſſerere; quem qui ſit conſecutus, ſummum eius bonum obtineat.

Cur additur, Benè? *Benè.*

Illud tum formam perficit, & artis vim à Naturæ infirmitate diſtinguit; cùm homo λογικὸν ζῶον naturâ diſſerat; tum ſummum illud bonum & finem extremum determinat, vt quando aliquis ſummum artis bonum adeptus ſit. intelligatur, ſi videlicet tantum præſtiterit, quantum artis finibus continetur. Neque.n. propriè alius finis ſpectatur: vide partem ſecundam.

2. *Deinde, quomodo Definitio Subiectum, quod Arti & Artifici propoſitum ſit, communiter & diſtinctè innuit?*

Illud tum Artis ſignificatione, tum forma purè propoſita efficit. Nam cùm Artis præcepta debeant eſſe rerum certarum & æternarum; quorum tamen vſus in humana vita de rebus caducis imo etiam fictis eſſe queat; & porro cùm forma logicæ nulli certæ rei adſtringatur: intelligimus diuerſas res Arti & artifici propoſitas eſſe, nempe Arti res certas & definitas, quas ſuis præceptis informet; Artifici autem quaſlibet, in quibus tractandis & explicandis informatorum præceptorum vſum experiatur. *Subiectorum diſtinctio.*

Quod igitur Artis Dialecticæ τὸ αὐτοτέλεσμον & Subiectum? *Subiectum Dialecticæ.*

Rationis humanæ in diſſerendo facultates, ſeu Naturalis Rationis vſus Logicæ deſcribendus & præceptis informandus proponitur. Tam enim hæc ars latè patebit, quàm vſus humanæ rationis; cuius vt in arte deſcribenda nihil prætermittetur, ita nec quicquam in ea naturæ imagine pingetur, quod à benè diſſerentium conſuetudine alienum ſit.

Quius

Cuius igitur hominis Ratio aut cuius Bibliotheca proponenda, ex qua hæc imago exprimatur?

Vnde colligenda Dialectica?

Non vnius, aut paucorum, sed omnium omnino, & præsertim sapientium, qui vnquam benè ratiocinati sunt, déque benè disserendi vsu aliquid memoriæ prodiderunt. Néque.n. Ars Dialectica ex ingenio, secta, & opinione huius aut illius philosophi, vel ex aliqua præcipua schola, sed prorsus è naturali rationis vsu, qui in omnibus elucet, hauriri debet.

Subiect. Dialectici.

Quale igitur illud in quo Dialectici vis cernitur?

Omne propositum, omníque res & sensum vel sententia, vera vel ficta (vocant Ens vel non Ens) manifesta vel dubia, quæ ratione quoquo modo tractari possit. Sic enim Logicæ, vt etiam Grammaticæ & Rhetoricæ, vsus per omnes alias artes & disciplinas atque adeo per vniuersam vitam fusus est, vt omnibus vsus sui præstandi muneríque fungendi facultatem præstet. Neque enim Quæstio totius Artis, sed solius syllogismi vsui proposita est.

Defin. generalis.

Cur nominatim Definitionem omnino generalem esse confirmastii, cum omnes definitiones tales esse intelligantur?

Vt tum integer totius vnicæque huius artis status rectè constitutus, tum eiusdem vsus accuratè attendatur; ne aut triplex logica eiúsque triplex definitio fingatur, aut generalis artis vsus ad certas quæstionum species temerè adstringatur.

Cur id ita fieri necesse est?

Cùm ipsa definita res eiúsque typus Ratio humana sit generalis, omnibúsque omnino rebus communis: cúmque vocabula definitæ rationis sint generalia: Definitio etiam generalis esse & sic intelligi debet, vt totam & vniuersam disserendi rationem multiplicémque vsum generatim cõplectatur. Et sic lex καθόλου πρῶτον generalia generatim explicare iubet. Quacunque igitur Dialecticæ parte vsus fueris, semper illud generale Disserere tibi conuenerit.

Res generalis.

Quomodo typus & res vel ars ipsa generalis est?

Ratio hominis, & sic eius effigies Ars Dialectica vna & generalis est, siue inuenias & iudices res veras aut falsas, probabiles

probabiles aut necessarias; siue Enunciatis, aut syllogismis, aut Methodo; siue de rebus sacris aut profanis, siue nudè aut copioſè, siue in Ecclesia & Scholis, aut in foro & curia disseras: eiusdem enim Rationis, & sic Artis illa officia certis legibus distincta: vnicáque ars omnibus rebus, locis, temporibus, & auctoribus abundè sufficit.

Quomodo Vocabula Definitæ Rei generalia sunt?

Dialecticæ & Logicæ Vocabula pro illa communi & generali facultate generaliter à Tullio & Quinctiliano accipiuntur, vt etiam διαλέγεσθαι & λογίζεσθαι disserere & ratiocinari idem quod ratione vti apud Platonem & Aristotelem significant. Quanquam enim ex Syllogismi & argumentationis parte præcipuè nominata sunt, vt etiam pleraque latina vocabula magis Iudicium respiciunt: attamen generatim ad totam & generalem artis facultatem & inuentionis & iudicij significandam accommodantur. vide partem 2. *Vocabula generalia.*

Quidigitur Disserere generatim significat? *Disserere.*

Disserere tam latè patet quam vsus humanæ rationis, vt et διαλέγεσθαι et λογίζεσθαι; ideóque significat indicare, exhibere, adhibere, afferre argumenta, arguere, considerare, meditari, intelligere, ostendere, inuenire, disponere, iudicare, meminisse, docere, disputare, ratiocinari, disceptare, et omnino τῷ λογῷ χρῆσθαι ratione vti, vel quacunque particula logicæ, vel tota etiam arte vsurpanda.

Cur postremò additur, Eodémque sensu Logica dicta est? *Logica.*

Illustratio est definitionis à nomine Synonymo et eque ad rem appositio. Nam Cicero de Fato Logicam definit artem benè differendi: alijs autem locis Dialecticam totidem verbis definit. Ergo idem significant et solo vocis sono differunt.

An igitur hæc Definitio omnibus Legibus de Materia artium congrua est? *Defin. Legibus conuenit-ens.*

Est omnino; quia est κατὰ παντὸς tum de vniuerso artis statu, tum de omni proposito: deinde καθ' αὑτὸ Dialecticæ propria; non heterogenea, non Rhetoricæ aut vlli alij arti communis; et denique καθόλου ἁπλῶς, quia generalem et vniuersum

vniuersum artis statum generatim generalibúsque vocabulis explicat.

Cur ex Methodi Lege prima est?

Quia omnium huius artis præceptorum generalissima est, quæ quasi vno communionis fasciculo cętera omnia complectitur.

CAP. II. DE PARTIBVS DIALECTICÆ, déque argumenti generibus.

DIalectícæ partes duæ sunt, Inuentio & Iudicium.

Inuentio est pars Dialecticæ de inueniendis argumentis.

Argumentum est, quod ad aliquid arguendum affectum est: quales sunt singulæ rationes solæ & per se consideratæ.

Argumentum est artificiale aut inartificiale: Artificiale, quod ex se arguit: est autem primum, vel à primo ortum.

Primum, quod est suæ originis: éstque, simplex aut comparatum.

Simplex, quod simpliciter & absolutè consideratur. Est q; consentaneum & dissentaneum.

Consentaneum est, quod consentit cum re quam arguit: est q; consentaneum absolutè aut modo quodam: absolutè, vt causa & effectum.

QVAESTIONES EXPLICAT.

Quod secundum totius artis commune præceptum, & quæ eius ratio?

Quot partes Dialecticæ?

DIalecticæ partes, &c.] Dichotomia artis. i. Partitio in duas partes vniuersam artem cõstituentes & integrantes: quæ vt cùm naturali rationis vsu & legibus legitimorum præceptorum congruit, ita ex Methodi lege vniuersam artis vim in duas partes diducens Definitioni proxima est.

Quomodo partitio cum Natura & legibus congruit?

Partitio Naturalis.

Tota vis Dialecticæ sita est in inueniẽdo & iudicãdo. Nunc cùm omnium hominũ naturalis in disserendo vsus huc incidat, vt primum cogitẽtur quæ disserẽda sint, deinde

ijs

ijs disposítis iudicetur; tertia autem mentis actio in disserendo nulla fit: hanc partitionem à natura suppeditatam, vsu communi expressam, & à philosophis quasi per manus traditam, Aristoteles, nobilissimæ Aristoteleorum Scholæ, Tullius & Quintilianus approbarunt, amplexi & secuti sunt. Quicquid enim vel ab Aristotele in toto Organo cæteríq; libris, vel ab alijs logicum præcipitur, id de argumentorum Inuentione & iudicio præcipitur. *Vsu & auctoritate stabilita.*

Sunt etiam illæ partes prorsus distinctæ?

Doctrina & præceptis prorsus distinctæ sunt; vt præcepta inueniendi non sint præcepta iudicandi, nisi quatenus omne præceptum iudicat; attamen vsu semper coniunguntur.

Ecquodnam deinceps primum de priore parte præceptum?

Inuentio est pars Dialecticæ de inueniendis argumentis.] Definitio est à toto & subiectis rebus quas suis præceptis interpretatur. Vt enim vox seu vocabulum Etymologiæ, ita Argumentum Inuentioni proponitur, cuius genera & affectiones, quæ sunt viæ & rationes inuestigandi, distinctè explicat. *Quid Inuentio?*

Quæ nomina & significatio Inuentionis?

Prior pars εὕρεσις, i. Inuentio nominatur, quod inueniendi facultatẽ subministret; vel τόπος, id est, Localis, vt Boëtius (quod Cicero non est ausus) interpretatur, quia consignatis argumentorum generibus tanquam certis indicibus & notis quærendi quasi locos, sedes & domicilia constituit, in quibus non res ipsæ, (quæ sunt in suis disciplinis & totius vitæ vsu) sed logica notionum genera, in quibus certa sit inquirendi & inueniendi facultas, lateant. *Inuentionis nomina & significatio.*

Quid igitur significat Inuentio?

Primò naturalem vim inuestigandi, & hinc expressam inueniendi seu argumentorum doctrinam; deinde eius fructum seu opus nempe excogitationem, inquisitionem, inuestigationem, obseruationem, notionem, cognitionémque & delectum affectionum in rebus & verbis significat.

Quomodo

Quomodo altera pars priori respondet?

Quoniam Inuentio rerum notiones nudè considerat; quæ vt iudicari et vsurpari possint, dispositionis indigent, eáque ad iudicationem vt ait Boetius, pertinet: altera pars ab instrumento iudicandi, Dispositio, à fine et fructu iudicium nominata notiones coniungit vt sententia intelligatur et iudicetur.

Quod igitur secundum Inuentionis documentum?

Quid Argumentum?

Argumentum est, quod, &c. Definitio argumenti à forma, quæ est affectio ad aliquid arguendum; ideóque relatione, et notatione exprimitur; deinde consectario proprietatis, qua à collocatione separatur cõmodè illustratur.

Velim dilucidius mihi ista explices, & primùm ecquænam illa Relatio, quæ in forma Argumenti spectanda?

Relatio affectionis.

Relatio est affectio, id est, mutua ratio et naturæ respectus, quem quódque Argumentum habet ad alterum, ad quod affectum est, vt Caussa ad Effectum. Est enim Caussa Effecti Caussa, et vicissim: quorum ideo mutua est appellatio et vis arguendi reciproca.

Quomodo Græci appellant?

Ratio.

λόγον. idcóque nos Rationem commodius appellare possemus: sed quia Ratio est et mentis facultas, et quodlibet argumentum: Ramus vitandæ ambiguitatis caussa nomen Affectionis delegit: quo eodem et Cicero in Topicis ac partitionibus hac eadem in re vsus est.

Vnde rationis vocabulum sumptum est?

A Mathematicis qui λόγον definiunt duarum eiusdem generis quantitatum comparationem. Interpretes proportionem latinè nominarunt: quidam habitudinem: nonnulli habitum: qui commodius Respectum. Barbari fortasse correspondentiam appellarent.

Quænam illius λόγου sive respectus vis ac facultas?

Vis affectionis.

Ea omnes inueniendi, considerandi, arguendique leges et rationes continet atque explanat.

Quonam

Quonam modo?

Cum argumenta sint communes notæ et viæ inueniendi: notio illa affectionum declarat qúęnam argumenti cuiúsque cum altero ratio sit: quemadmodum inuicem affecta sint; qualis inter ipsa comparatio et affectio.i. cõsensio vel dissensio sit, et denique quomodo inter se habeant, in qua affectione quasi certa lex mutui est, qua omnes res et sensa excogitantur, inueniuntur, arguuntur et explicantur. Nã res omnis, quæ in Dialecticam disputationem cadit, iccirco cum altera cõparatur, vt quemadmodũ inter se affectæ sint, id est, sintne consentaneæ an Dissentaneæ, Caussa an Effectũ, Eædem an Diuersæ et ita deinceps intelligatur.

An igitur in omni argumenti genere est illa affectio?

In omnibus argumentis affectio.

Est quidem in omnibus Argumẽtis mutua illa duorum Diuersi vel etiam vnius nominis inter se affectio et reciprocatio; qua inter se tum in arte definiuntur, tum in vsu arguunt. Neque enim argumentum sine respectu affecti doceri, neque vnquam nisi ad arguendum suum affectũ adhiberi potest. Sic Caussæ definiuntur ratione eius quod earum vi existit. i. Effecti; et tantum arguunt effecta, et ab Effectis solæ arguuntur: quæ ratio ita de cęteris omnibus intelligenda; et à Petro Ramo in distinguendis argumentorum generibus prudentissimè obseruata est.

Quomodo igitur Ramus affectionum notiones distinxit?

Ramus affectionum genera commodissimè distinxit.

Is notionibus affectionum ex rerum natura & vsu diligenter per genera distinctis, ea argumenta quæ mutuum habent respectum suo etiam generi Consentaneo vel dissentaneo & ita deinceps inclusit; deinde quæ affecta vni generi subiecta per naturam duobus vocabulis nominantur, ea etiam, si ita vsus ferret, duabus affectis sedibus seu locis relatis separatim, sin ita commodum non esset, duobus tamen nominibus vno loco coniunctim explicauit: quæ vero vno vocabulo contenta sunt, ea vno etiam communi nomine & loco comprehendit.

Hoc planius per exempla dicas.

Genera & nomina argumentorum,

Sic Caussa & Effectum sunt duo affecta argumẽta duobus affectis nominibus expressa, & sic locis distincta; attamen

men vno genere Absolutè Consentaneo comprehensa.

Sic Subiectum & Adiunctum distincta nominibus & sedibus vno genere Modo quodam Consentaneo continẽtur. In cæteris generibus affecta in vnum quidem suũ quælibet locum includuntur, (exceptis Imparibus quæ in duos relatos locos, Maius & Minus separantur) sed nominantur partim vno etiam nomine vt Diuersa, Disparata, Relata, Aduersa, paria, similia, dissimilia, coniugata; partim duobus, vt, Habitus, priuatio; Affirmatio, negatio; Notatio, nomen; Totum, pars; Genus, species; Definitum, Definitio: Testimonium, res testata.

Aliquid.

Quid ALIQVID *in Definitione significat?*

Alterum affectum argumentum & quodlibet propositum, quod differendo arguitur.

Quæ Notatio, qua formam dixisti exprimi?

Ea est in verbo arguendi, quo communis vis & facultas argumenti significatur.

Arguere.

Quid igitur est Arguere?

Arguere vniuersam Inuentionis facultatem, & multiplicem argumentorum vsum communiter significat: sed ratione Inuentionis & collocationis dupliciter distingui potest.

Cedo quibus modis?

Primo nudè sola ratione affectionis; secundo coniunctè collatione Iudicij: illo modo argumenta cogitantur & exhibentur, hoc autem vsurpantur & adhibentur.

Quomodo nudè consideratur?

Cum notione affectionis argumenta excogitamus, inuenimus, & nudè consideramus, vt cum notione Caussa quærimus & indagamus Effectum, & ita significat Ostendere, indicare & inuenire affecta argumenta, atque inuenta nudè exhibere.

Quomodo coniunctè collocatione iudicij vsurpatur vel adhibetur?

Cùm certa collocatione rem vel sententiam arguimus idque vel simplici Expositione, vel Quæstionis disputatione, quod fit tum altero modo separatim, tum vtroque coniunctim.

Quanta

Quánam id fit collocatione?

Enunciati vel Syllogiſmi: Nam Methodus Enunciata collocat ſeparata, vel cum Syllogiſmis coniuncta.

Quid ſignificat in Enunciatis?

Arguere in Enunciatis;

In Enunciatis rurſus eius multiplex vſus eſt; cùm vel ſimpliciter Enunciatis aliquid ſignificamus, docemus & oſtendimus; vel enunciatum aut Quæſtionem non Syllogiſticam argumentis per eandem collocationem explicamus, &c. Neque enim omnis Quęſtio Syllogiſmo iudicatur, ſed ad quamcunque reſponderi non poteſt, Ita, vel Non, ea ſimpliciter argumentis per enunciatorum collocationem exponitur: & ſæpe enunciatum proponitur, quod multis argumentis ordine abſque Syllogiſmo tractatur. Itaque hîc Arguere eſt ſignificare, docere, oſtendere, declarare, exponere, illuſtrare, augere, exornare, expolire, interpretari, perſpicuum planúmque facere, & denique quiduis prætet Quæſtionis concluſionem rationibus efficere.

Quid ſignificat in Syllogiſmo?

Arguere in Syllogiſmo;

Syllogiſmus Quæſtionem, quæ conſtat duobus Argumentis, tertio argumẽto quaſi ſequeſtro iudicat: quare hîc ſignificat probare, approbare, confirmare, fidem facere, &c. qua ſignificatione tantum ferè in Scholis intelligitur. Atque ideò Ramus eiuſmodi exemplis nempe nudis, & collocatis enunciato aut Syllogiſmo Inuentionem declarat.

Argumenta igitur,
- Cogitantur & exhibentur in nudis exemplis, vt, Ignis, & vrit, ſunt Cauſſa & Effectum.
- Vſurpantur & Adhibentur in Collocatis
  - Vel Rerũ ſimplici Expoſitione per Axiomata:
    - Separatim vel Coniunctim; tũ breuius ſine Methodo aut eius vmbra, tũ copioſius Methodo.
  - Vel Quæſtionis Diſputatione per Syllogiſmum

Varie argumenti appellationes;

Hinc notio Inuentioni ſubiecta varia conſideratione & vſu varijs etiam nominibus eſt nominata: è quibus tamẽ omnibus Argumentum magis propriè communem illam notionum vim etiam Ciceroni ſignificat.

Hoc clarius explana, & breuiter illa nomina expone.

Aliâs argumentum nudè cogitatur & exhibetur, vt Vocabulum: aliâs ex nudis argumentis sententia conficitur, vt vnum sit inferius & subijciatur, alterum superius & inferiori attribuitur; & sic vtrunque terminat sententiam: aliâs ad sententiam vel quæstionem declarandam, probandam vel confirmandam adhibetur: atque inde sic variè nominatur.

1. Principium, quod sit sola & separata ratio, & in Dialectica primum, vnde postea enunciationes existant: quod etsi ita intelligi queat; tamen nimis commune est, & vulgò Axiomata per se manifesta significat.

2. Elementum στοιχεῖον, quod sit simpliciſsimum & minimum, vt litteræ in Grammatica: sed hoc nimis impropriũ est in logica.

3. Ὅρος Terminus & sic minor & maior, quod enunciatum terminet: vt in enunciato (Homo est animal) sunt duo termini. i. argumentum inferius et superius. Sed hæc vox mathematica in vsu veræ logicæ Latinis trita non est.

4. Κατηγόρημα Categorema .i. Argumentum: quia Κατηγορεῖν est accusare et arguere. Hinc Κατηγορία doctrina Categorematum. Sed hoc verbum quibusdam interpretibus confusionem attulit quasi esset tantum vox simplex de re aliqua affirmata, cùm tamen Aristoteli sit omne Argumẽtum, siue vna voce, siue multis expressum, idque affirmatũ vel negatum.

5. Ἐπιχείρημα Aggressio: sed hoc quemlibet conatum et aggressionem totúmq; Syllogismum queat significare.

6. Μέσον Medium, et medius terminus, quod velut intermedium disponatur cum partibus Quæstionis in Syllogismo ad concludendum. Sed hæc Metaphora à similitudine continua et mathematicis, obscura, impropria, et nimis angusta est, quod in solo Syllogismo sic Argumentum probationis nominetur, in quo tamen collocatione non semper sit medium.

7. Πίστις i. Probatio seu fides, quod rebus dubijs fidem faciat: sed hoc etiam nimis angustum est, quod ad Syllogismum ferè respiciat.

8. Λόγος ratio, quod sit cogitatio mentis: sed hoc nimis

generale

generale totam artem complectitur potius quàm partem.

9. Argumentum Latinè & propriè à Cicerone & aliis appellatum est: quod omnis sententiæ & enunciati partes rectè significat: & in Syllogismo, quod quæstionem probat, distinctionis causa Tertium Argumentum nominatur. Sic Aristotelès obscurius & quidem translatè dixit terminos & medium terminum. Sit è Categorijs Categoremata sumuntur: è quibus enunciata componuntur. Cicero itaque & qui Latinè loquuti sunt, pro Categorematis argumenta nominarunt: quoties enim Topica interpretantur, toties argumentum faciunt summum genus Caussæ, Effecti, Generis, Speciei & reliquorum Categorematũ. Quare Ramus in Artis explicatione hac propria & generali voce passim vtitur: cæteræ in Commentario & exercitatione etiam locum habent. Hinc in vsu & explicatione auctorum multiplex argumenti vsus diligentissimè obseruandus, & quemadmodum adhibeatur propriè est exprimendum. Huc pertinent illa, quasi instrumenta Scholarum, quibus tam multiplex fructus propagatur, Docet, Exponit, Explicat, declarat, illustrat, expolit, auget, amplificat, probat approbat, confirmat, conuincit, confutat, &c.

3. *Quæ argumentorum proprietas illa quæ à collocatione separantur?*

Argumenta nudæ & solitariæ rationes.

Quod singula argumenta sint singulæ rationes, solæ & per se consideratæ, hoc est, singulæ notiones rerum in hominis mente informatæ, & ad alias ita affectæ, vt minimũ duæ sententiam efficiant; quæ nudè & simpliciter absque collocatione ex mutua illa affectione cogitantur & inueniuntur; deinde autem vt sententiam conficiant & iudicẽtur, disponuntur aut ab alijs disposita resoluuntur.

Declara exemplo.

Genesis è nudis argumentis.

Proposita aliqua re, quæ caussa sit, vt Ignis, eius iudicio res alia, ad quam affectionem habeat, nempe Effectus, vrere, inuenitur, quæ ita sunt nudæ rationes: Ignis -- & -- vrit: coniunctæ autem sententiam efficiunt, vt, Ignis vrit, Contra etiam proposita sententia sic resoluitur. Principio Deus creauit cœlum & terram; Hic, Deus caussa est; Cœlum & terra effecta.

Analysis in nuda.

An igitur Inuentio nudas illas rationes considerat?

Argumenta nudè considerantur.

Imò Inuentio nuda argumenta, sed seruata affectionis ratione, vt Etymologia vocabula sed hęc absque affectione considerat. Argumentum enim id in Logica est, quod vocabulum in Grammatica, sola videlicet & separata Ratio vocabulo significata. Nam vocabula sunt symbola Categorematum seu argumentorum: Cicero notas conuertit, & verba rerum notas definit: quod voces sint notæ quibus quæque res significantur. Res autem ipsę, hoc est, sensa mẽtis in differendo argumenta nominantur: quæ generatim sunt omnis sententiæ, seu enuntiationis, vel propositionis partes: & illud, quo in dubia sententia illæ inter se consentire, vel dissentire probantur, nominatim Tertium argumentum appellatur.

Vocabula symbola rerum.

Argumentũ tertium.

An igitur singulæ voces in oratione sunt argumenta?

Singulæ voces quomodo argumenta.

Non; quemadmodum nec singulæ significant res; sed quædam ad vinciendam sententiam adhibentur. Itaque quæ voces singulæ significant singulas notiones, essentiales scilicet sententiæ partes, eæ etiam singulæ sunt argumenta; vt, Homo, Animal, viuit, edit, bibit & infinita alia vocabula quæ singula argumenta comprehendunt. Sin plures eandem rationem sententiæque partem exprimant: eæ coniunctim vnum argumentum faciunt, vt sæpe argumenti simplicis intelligentia verbis pluribus exprimatur; imò etiam integrum Enunciatum ad alterum comparatum vnum affectum argumentum facit. Sed hæc phraseos ratio Grammaticæ propria est: tu Dialecticè nuda illa argumenta affecta, notionésque relatas, vt, Causſam & Effectum, Subiectum & Adiunctum, ceteráſque in reliquis argumentorum generibus mente complectere: quæ deinde Grammaticus varijs loquendi generibus expreſſerit. Attamen ad res penitus cognoscendas copioſæ phraſes contrahendæ, & tranſlatæ voces proprijs permutandæ ſunt.

Plures voces quomodo argumentum vnum.

At verò exemplis quibuſdam varietatem argumenta enunciandi declarato.

§ Aliquando duo argumenta duabus ſimpliciter notis enuncian-

enunciantur; vt Ignis vrit: Est Cauſſa & Effectum; Nomen & Verbum.

2 Aliquando verbo ſubſtantiuo colligantur, vt Homo eſt Animal: argumenta duo ſunt, Genus & Species: voces tres.

3 Aliquando duo argumenta variata phraſi pluribus vocibus exprimuntur; quibus etiam aliquando modus aliquis ſignificatur: vt, Homo ſapiens, Homo ſapientia præditus ſingulari. Conſul virtute factus ſtudioſè tuebitur Rempublicam. Argumenta duo, voces plures. Illic Subiectum & adiunctum hic, Cauſſa & Effectum.

4 Plures etiam argumentorum ſpecies vel modi multis verbis in vno enunciato ſimplici coniunguntur, vt omnes cauſſæ, vel efficientis & effecti modi, actio & opus, &c. vt, Deus ex luto terræ hominem rationalem ad ſuam gloriam fecit. Hic efficiens, Materia, forma, finis & effectum ſingulis verbis ſignificantur.

5 Alterum aliquando ex affectis argumentis animo vnicum concipiendum, multis tamen verbis adumbratur, vt Forma murorum Gallicorum in loco formæ. Homo eſt Animal ratione præditum. Hic duo ſunt affecta argumenta, Definitum & Definitio, ſed alterum rurſum duo, Genus & formam complectitur.

6 Aliquando integrum enunciatum ex alijs argumentis factum, pro vno tamen affecto ponitur, vt in plenis comparationibus: Sit igitur hoc prius: Quot grana papaueris: Alterum illud: tot Ouidius premitur aduerſis. Hic duo paria affecta duobus enunciatis proponuntur: ſed ſingula etiam ſua propria argumenta habent.

7 In partitionibus & definitionibus alterutrum affectum etiam pluribus alijs argumentis conficitur: vt Homo eſt animal rationale: dua affecta, Definitum & Definitio: hæc autem genere & forma, vt Deſcriptio pluribus argumentis, Partitio partibus conſtat. Ergo ſic argumẽtũ eſt ſola & ſeparata ratio ſiue vno verbo, ſiue pluribus, aut integro enunciato cõprehendatur aut etiam multiplicetur.

Poſſuntne igitur vt voces ſingulæ & ſeparatæ ad certa Etymologiæ, ſic etiam argumenta nuda ad ſua

genera referri & recte intelligi?

Argumenta nuda quomodo ad genera referantur.

Vocabula simpliciter spectantur, & vnius semper sunt Etymologici generis: argumenta autem sua affectione censentur, & ita ab ijs qui & artem & res intelligunt ad suos locos rectè referuntur: affectione autem mutata etiã Genus nomenque argumenti mutatur. Dialectica enim vsu differendi res metitur.

Quomodo affectio mutatur?

Affectio mutatur.

Dupliciter: vel enim in ijsdem rebus, vel in diuersis ratio argumenti varia spectatur.

Sed quomodo consideratio certa est?

Si rei natura & præcipuè respectus quem quæque res ad aliam in vsu habet diligenter attendatur: qui, quoniam vsu variatur, Enũciati collocatio certi generis etiam rationem ostendit: quod ita iudicij principium est.

Planius igitur ostende quemadmodum in ijsdem rebus affectio varietur.

Eædem res diuersa ratione vel pro sua natura vel ex factis vel adiunctis vel dissensione vel comparatione possunt considerari, vt ita mutata affectionis notione in diuersa argumentorum genera cadant.

Da exemplum.

Sic DEVS & HOMO variam affectionem recipiunt, quæ enunciando elucet hoc modo.

Deus creauit hominem.	Est affectio.	Caussæ procreãtis & effecti.
Deus conseruat hominem.		Conseruantis & effecti.
Deus homini colẽdus propositus est.		Finis & effecti finiti.
Deus inuocatur ab homine.		Subiecti & adiuncti.
Deus non est homo.		Disparatorum.
Deus non est similis homini.		Dissimiliũ. &c.
Deus non agit vt homo.		

Et quomodo in diuersis?

Si vna res ad plures alias conferatur, vel per Locos deducatur: vt, si proponatur HOMO, huius affectio ad res varias varia est: vt

Deum

Homo ad	Deum, & Parentes, Cauſſas effi:	Affectionem habet	Effecti procreati & conſeruati.
	Corpus, ſuã Materiã		Effecti materiati,
	Rationem, Formam		Effecti formati.
	Dei gloriam, Finem		Effecti finiti.
	Actiones, Effecta		Cauſſæ.
	Terram, Subiectum		Adiuncti,
	Sanitatem, Diuitias, adiuncta		Subiecti.
	Arborem, diſparatũ		Diſparati.
	Beſtiam, Cõtrarium		Contrarij.
	Angelum, parem		Paris.
	Bullam ſimilem		Similis.
	Humum, Notationẽ		Nominis notati.
	Corpus, partem		Totius.
	Mundum, totum		Partis.
	Animal, genus		Speciei,
	Paulum, ſpeciem		Generis.
	Animal rationale, definitionem.		Definiti, &c.

An igitur illa affectionis ratio in Solo Enunciato apparet?

Affectio in Enunciato perſpicua.

Si res intelligantur, etiam abſque collocatione cognoſcitur; ſed hæc magnam lucem adfert, & certam affectionis notionem oſtendit. Eſt enim in Enunciatis tum certæ affectionis, tum veritatis primum iudicium.

Habéne hæc conſideratio in Syllogiſmo aliquid momenti?

Habet quidem: Nam cùm Syllogiſmus conſtet ex Enunciatis, quæ ex Quæſtionis partibus & tertio argumento conſtituuntur: diuerſa etiam tertij argumenti ſeparatim ad quæſtionis partes poteſt eſſe affectio, vt aliam Reſpect⁹ rationẽ habeat in Propoſitione ad partẽ Quęſtionis conſequentem, aliã in Aſſumtione ad Antecedentem: vt,

Affectio in Syllog.

Nullus DIVES eſt pauper. Hîc argumentum.
DIVES, eſt habitus contrarius priuationi.
Rex eſt DIVES. Hîc adiunctum regis.
Rex igitur non eſt pauper. Quæſtio.

Sintne igitur Artis etiam præcepta ita mutabilia?

Minimè verò: Artis enim documenta distincta, firma, & immutabilia sunt; vt Definitio Causſæ nec vnquam desinat esse eius definitio, nec vnquam sit effecti aut alterius argumenti definitio, &c. Sed illæ definitiones perpetuæ & firmæ, in res varias pro earum affectione et tractatione accommodantur, imò res ipsæ sub illas cadunt. Atq; ita argumentorum multiplex omninò vsus, et varia est affectio.

Quod tertium de Inuentione præceptum?

Argumentum est Artificiale, aut Inartificiale.] Diuisio Argumenti summi generis in duo proxima, formis potiùs quàm suis nominibus expressa, et alterum quidem priuatione prioris. Sic enim illa ex dissentanea arguendi vi distinguuntur, vt quam prius propriã habeat, ea alterũ careat.

Quotuplex argu.

Sic Aristoteles locos ἐντέχνους et ἀτέχνους; Cicero insitos aut cùm arte; et assumptos aut remotos ab arte; Quinctilianus Artificiales et Inartificiales nominat.

Quodnam quartum?

Artificiale est quod ex sese arguit.] Definitio Artificialis à genere intellecto et forma: quæ est insita et propria vis arguendi; quod sua facultate et efficacia arguat, ideóqve plus artis, i. facultatis arguendi habeat, quàm Inartificiale, quod non sua natura, sed assumpta artificialis alicuius ratione arguit. Nam Causis, Effectis, cæterísque artificialibus per se fidem adiungimus: Inartificialibus non credimus, nisi ratione artificialium, vnde eorum veritas pendet.

Quid Artificiale?

Quod quintum?

Artificiale est primum vel à primo Ortum.] Diuisio Artificialis ex Originis ratione: quam quædam suam habent et alijs præbent; quædam derivatam et ortam: quorum et vis arguendi et explicatio à primis pendet. Continuantur autem deinceps definitiones et diuisiones per medias formas, ne summum genus præceps ad vltima individua cadat, sed vt Methodus gradatim descendat, quò fit omniũ argumentorũ natura, vis et proprietas recte intelligatur.

Quotuplex est Artificiale?

Quod

Quod sextum?

Primum quod est suæ originis.] Definitio primi à forma; quę est prima propriáque origo naturæ, doctrinæ & considerationis. Nam prima suam primam facultatem & doctrinam habent, quæ cùm aliunde non deriuetur, alijs tamen originem præbet. *Quid primum?*

Quod septimum?

Primum est simplex aut comparatum.] Diuisio primi ex duplici affectu, simplici in rebus ipsis, & comparato in earundem quantitatibus & qualitatibus. Illo respectu res sua consensione vel dissentione inter se spectantur: hoc in ijsdem quantitatis & qualitatis ratio comparatur. *Quotuplex primum?*

Quod octauum?

Simplex, quod simpliciter & absolutè consideratur.] Definitio simplicis à forma, quæ est simplex affectio, quam res habet ad eam cum qua consentit, vel à qua dissentit. Neque enim duorum affectio hîc comparatio est, sed potius relatio, qualis in omnibus consideratur; in simplicibus simplex, in comparatis quantitate vel qualitate comparata. *Qui? Simplex?*

Quod nonum?

Simplex est consentaneum aut dissentaneum.] Diuisio simplicis ex affectionis consensione & dissensione. Nam vt cõsentaneum ad id cum quo cougruit, ita dissentaneum ad id à quo dissentit, simplicem respectum habet. *Quotup'ex simplex?*

Quod decimum?

Consentaneum est, quod consentit cum re quam arguit.] Definitio Consentanei à forma, quæ est amica affectionis consensio; cùm res videlicet aliæ ab alijs existunt, vel alijs adsunt & adiunguntur. *Quid consentaneum?*

Quod vndecimum?

Consentaneum est absolutè aut modo quodam.] Diuisio Cõsentanei ex arctiore, nempe essentiali; & leuiore, nempe adiuncti, consensione. Causæ ad essentiam effectorum pertinent; Adiuncta præter essentiam ad Subiecta accedunt. *Quotuplex consentaneum.*

cedunt. Aristoteles Homogenea ἁπλῶς ἢ πῇ, absolutè aut quodammodo nominat.

Quod duodecimum?

Quæ sunt affecta absolutè consentanei?

Absolutè consentaneum est Caussa & Effectum. Diuisio Absoluti & essentialis consentanei in duo affectionis mutuæ argumenta: quæ quia duobus nominibus distinguntur, separatis etiam Locis docentur. Hoc igitur primum Genus Argumentorum ita comprehenditur.

I. CONSENTANEI ABSOLVTI
1. affectio in 2.
CAVSSA——&——EFFECTO.

CAP. III. DE EFFICIENTE, PROcreante & conseruante.

CAussa est, cuius vi res est. Itaque primus hic locus inuentionis, fons est omnis scientiæ: scirique demum creditur, cuius causa teneatur: vt meritò dicatur à poeta.

Fœlix, qui potuit rerum cognoscere caussas.

Caussa est efficiens & materia, aut forma & finis.

Efficiens est caussa, à qua res est: cuius etsi vera genera nulla nobis appareant, vbertas tamen permagna modis quibusdam distinguitur: Primò quòd procreet aut tueatur. Ouid. 4. de Remedio.

Ergo vbi visus eris nostra medicabilis arte,
Fac monitis fugias, otia prima meis:
Hæc vt ames faciunt: hæc quæ fecere, tuentur:
Hæc sunt iucundi caussa cibúsque mali.
Otia si tollas, periere cupidinis arcus:
Contemptæque iacent & sine luce faces.

Sic pater & mater procreant: nutrix tuetur. 4. AEneid.

Non tibi diua parens generis, nec Dardanus auctor.
Perfide: sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanæque admorunt vbera tigres.

Sic Romulus conditor Romanæ vrbis, Reges deinde reliqui, Consules, imperatores, tutores & conseruatores fuere.

QVAE

QVAESTIONES EXPLICAT.

Quod primum præceptum de Cauſſa?

Cauſſa eſt cuius vi res eſt.] Definitio à genere intellecto & forma affectionis, quæ eſt vis & efficacia, qua res. i. effectus exiſtit, q.d. vis cauſſandi cauſſatum. Sic enim forma proprietáſque Cauſſæ reſpicit ſibi reſpondentem effectum, & huius affectione definitur: Res autem generatim Euentum & Effectum hîc ſignificat, ſiue ſit actio & motus, ſiue res effecta. Cauſſa enim eſt id cuius vi rei cuiuſque aut actionis euentus exitum habuit. *Quid Cauſſæ*

Quid igitur Cauſſa arguit?

Cauſſa arguit effectum, & viciſsim, ab eo arguitur. Hæc n. tanquam inter ſe relata & reſpondentia perpetuò conferuntur.

Quæ nomina & ſignificatio Cauſſæ?

Cauſſa αἰτία ἢ αἴτιον græcè dicitur, nempe id quod ſua vi facit, vt aliquid exiſtat & efficiatur: vnde etiam ἀρχὴ principium, στοιχεῖον elementum, φύσις natura, οὐσία eſſentia nominatur: ſed & res ſuis Cauſsis conſtituta dici poteſt Natura & Eſſentia; Elementum etiam quoduis argumentum, & grammaticum principium ſignificat: Ἀρχῆς ἢ αἰτίου, vna eadémque ſignificatio eſt; quia ſe inuicem conſequuntur. Aliquando etiam quoduis argumentum generatim cauſſa dicitur, cauſſáque propter vim arguendi eſſe videtur: ſed ſpeciatim & propriè Cauſſa eſt, cuius vi & efficacia res exiſtit. *Nomina & ſignificatio.*

An effectum pari[illegible] cauſæ reſpondet?

Nomine quidem Effic[illegible]d re & affectione pariter omnibus cauſsis reſpondet: [illegible] græca huius affectus vocabula clarius oſtendunt, αἴτιον Cauſſa, & αἰτιατὸν quaſi Cauſſatum. i. effectum omnium Cauſſarum vi ortum.

Quod ſecundum?

Itaq; primus hic Locus Inuentionis, fons eſt omnis ſcientiæ.] Axioma generale de cauſſatum efficacia & ordine; quod ſcientificæ ſint; ideoq; in ordine primorum et ſimplicium rectè primũ locũ obtineãt, quibus nihil ſit prius aut notius. *Cauſſæ ſcientificæ.*

Ex

Ex causſis enim omnis humanæ ſcientiæ ſolidæ conſtánſque cognitio demonſtratióque proficiſcitur. Hinc Cicero in Topicis: Cauſſarum cognitio cognitionem euentorum facit. Illuſtratur Virgilij teſtimonio ex 2. Georg. vbi ſynecdochi κῶς de cauſis Phyſicis dicitur, quod generatim de omnibus intelligendum.

Num ergo omnis ex Cauſis cognitio ſcientia dicitur?

Scientia duplex.

Ariſtoteles ſcientiam definit ex cauſis ęternis & proprijs, propter quas res ſit, eámque διότι καὶ διάτι, quamobrem & propter quid nominat: ſecus è cęteris cauſsis & quibuſuis alijs argumentis ſcientiam ſecundariam, quæ ὅτι quia, dicitur, gigni confirmat. Sed ea diſtinctio ad logicam nihil attinet, quæ generatim docet, cuiúſque rei æternæ vel caducæ, Cauſſam, eius ſcientiam efficere; idque ita communiter intelligere logico ſatis eſt.

Quod tertium?

Cauſſa eſt efficiens, &c.] Dichotomia Cauſſæ in duo genera innominata, quæ ideo binis ſpeciebus exprimuntur.

Vnde duo illa genera intelliguntur?

Quot ſunt Cauſſæ genera? Duo innominata.

E duplici Cauſſarum communione: quarum vna priores ſpecies æqualiter complectitur; altera poſteriores.

Quæ igitur illa communio?

Efficiens & Materia natura præcedũt; imo Efficiens mouendi principium, in quo vis ineſt efficiendi primaria, materiam comparat, præparat & tractat; vnde etiam ſæpè vnà intereunt propoſitóque fruſtrantur. Forma & Finis ſequũtur, et rem effectam commitantur, vt mutata vel corrupta forma, res mutetur, aliúmque vſum ſortiatur.

Sic igitur diſtinguntur, et pariter ad Effectũ referuntur.

CAVSSAE ——————— EFFECTVM.

1. Genus.	Efficiens et Materia	Huius affectione dicitur;	Effectum Materiatũ Formatũ Finitum.	Sed vno Effecti nomine et loco continentur.
1. Genus.	Forma et Finis.			

Atque

Atque hæc sunt verè logica Caussarum genera; ad quæ multiplices Causarum apud alios diuisiones commode referri possunt. *Vide 2. part.*

Quod primum de Efficiente præceptum?

Efficiens est causa à qua res est.] Definitio à genere et forma, quæ est vis propriè efficiẽdi, particula, A, exposita. Nam hæc motus eius principium adfert, per quem Euentus exitum habet: vnde ἀρχὴ κινήσεως, στάσεως, ἠρεμήσεως principium motus, status, quietis; itemque ἀίτιον, τὸ ποιοῦν, ποιητικὸν, γεννητικὸν dicitur. *Quid est Efficiens?*

Quod secundum?

Cuius etsi vera, &c.] Distributio triplex in binos modos seu adiunctas affectiones, illustrata diuerso quòd certæ species si maximè sint, nobis non appareant.

Cur modi potius sunt quam genera?

Quia distinctis formis non differunt, sed tantum adiũctis modis et affectionibus variantur, quarum pleræque concurrunt, et in vnam causam simul cadunt. Manet enim eadem efficientia; sed affectionis differentia modis variatur: vnde Aristoteli τρόποι τῶν αἰτίων nominantur. *Modi.*

Quis primus efficiendi modus.

Primus est quod procreet aut tueatur.] Prima Efficientis diuisio ex primo adiuncto modo in Procreantem et Conseruantem. Procreando res noua efficitur: Conseruando particula ad perficiendum, sustentandum, et augendum additur: itaque vtrobique est efficientia modo tantum variata. 1. *Proc. Con.*

Cedo quodnam primum exemplum?

Primum est ethicum à poëta Syllogismo iudicatum, cuius Q. ex Caussa et Effecto, An fugiendo otio amori medeatur? Probatur tertio argumento, quod ad consequentem partem Caussæ nempe medelæ, ad Antecedentem duplicis modi affectionẽ habet, quasi ex ipsius Causæ definitione depromptum.

Sublata Causa amoris, amori medeberis.

At in otio est causſa procreans & conſeruans amoris;
Ergo otio fugiendo amori medebris.

Complexio præcedit, Aſſumptio ſequitur; propoſitionis ſententia iterata Complexione ſignificatur quaſi Maxima ex definitione Cauſſæ deriuata. Atque ideo hoc loco illud exemplum collocatur, cum ſi ſimpliciter diſſeras: Otium eſſe fugiendum; quod procreet & foueat amorem; argumentum ſit ab effecto; ideóque in Cauſſa ratione Syllogiſmi alienum; ſed eſt à modis efficiendi, qui in otio demonſtrantur.

Quodnam ſecundum?

Secundum partim phyſicum, partim œconomicum & nudũ eſt; quo nudis affectis ſine collocatione quaſi ſpecies huius modi indicatur, cuius vſus exemplo ſyllogiſtico argumẽto tertio à procreante & cõſeruante ficto declaratur:

Æneas à Caucaſo & tigribus natus & educatus eſt.
Hæc diſſentaneo. i. remotione veræ Cauſſæ augetur.
Ergo eſt durus & perfidus.

Quod tertium?

Tertium etiam nudum eſt, quo & peculiares quaſi ſpecies huius modi indicantur. Huc enim omnes auctores, artifices, & opifices pertinent. Obſerua, cùm contrariorum ſit contraria ratio, Conſeruantibus opponi, Negligentes, Corrumpentes, & perdentes; quæ φθαρτικὰ earumque effecta φθορὰι nominantur.

Negligentes. Corrumpentes.

CAP. IIII. DE EFFICIENTE ſola & cum alijs.

SEcundo, cauſſa efficiens ſola efficit aut cum alijs: earúmque omnium ſæpe alia principalis, alia adiuuans & miniſtra.

9. AEneid. Niſus auocat ab Euryalo in ſe factæ cædis & culpæ & pœnam: quia ſolus auctor fuerit.

Me me, adſum, qui feci: in me conuertite ferrum
O Rutuli: mea fraus omnis: nihil iſte nec auſus
Nec potuit------

Solitaria cauſſa cum pleriſque & principalibus & ſocijs pro Marcello variè adhibetur. Nam bellicas laudes (ait Orator) ſolus quidam extenuare verbis, eaſque detrahere ducibus, & cõmunicare

municare cum multis, ne propriæ sint imperatorum: & certè in armis, militum virtus, locorum opportunitas, sociorum auxilia, classes, cõmeatus, multum iuuant: maximam verò partem, quasi suo iure fortuna sibi vendicat, & quicquid est prosperè gestum id penè omne ducit suum. At verò huius gloriæ, Cæsar, quam es paulo ante adeptus, socium habes neminem: totum hoc quantumcũq; est (quod certè maximum est) totum (inquam) est tuum. Nihil tibi ex ista laude centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit: quin etiam illa ipsa rerum humanarum domina fortuna, in istius se societatem gloriæ non offert: tibi cedit, tuam esse totam ac propriam fatetur.

Instrumenta etiam in caussis adiuuantibus connumerantur, quo argumento impius Epicureus disputat mundum nunquam esse factum 1. Nat. Quibus enim (ait) oculis animi intueri potuit vester Plato fabricam illam tanti operis, qua construi à Deo atque ædificari mundum facit? Quæ molitio? quæ ferramenta? qui vectes? quæ machinæ? qui ministri tanti operis fuerunt?

QVAESTIONES EXPLICAT.

Quis secundus modus?

SEcundò, *Caussa efficiens sola efficit aut cum alijs: earúmque, &c.*] Secunda diuisio est ex secundo modo efficiendi; quod Efficiens vel sit sola & absoluta, vel cum alijs: & hæc rursum distinguitur, in principalem & adiuuãtem seu ministram. Sic enim sunt sociæ efficiendi vt alia principem locum obtineat, aliæ adiuuantes sint & illi adiunctæ Græci αἴτιον ἐγκαίτιον, quasi Caussam & Concaussam nominãt. Tullius principales & adiuuantes dicit: & ita principalis sæpe pro absoluta vsurpatur. *Sola, cum alijs.*

Cedo & expone exempla.

Primum est Syllogismus imperfectus Quæstionem argumento à solitario modo iudicans: Nisus solus fecit cædem: Ergo solus de cæde puniendus. Partes implicantur; & antecedens dissentaneæ Caussæ adiunctis illustratur.

Quod secundum?

Secundum est de vtroque modo, nempe duplex Enthymema; vnum ex adiuuantibus, alterum è sola caussa: sed dissimilitudine ad prædicandã Cæsaris clementiã alterum

alteri

alteri comparatur: Protasis sic iudicatur: in bellis gerendis Imperator à multis iuuatur. Ergo bellica gloria non est eius propria. Antapodosis sic: Cæsar clementiam in Marcellum solus exercuit, Ergo clementiæ gloria solius eius propria est. Consequens vtrobique præcedit: Antecedens adiuuantium illic enumeratione, hîc remotione declaratur.

Quid tandem sequitur?

Instrumenta ea &c. *Annotatio de singulari in hoc modo exemplorum genere, quæ itidem velut aliqua species huius modi notatur. Nam ministri, operarij, instrumenta, arma, machinæ & cætera adiumenta in adiuuantibus ponuntur.*

Quale hinc exemplum?

Enthymema Velleij ex adiuuantium remotione, cui ad intelligendum iudicium propositio addatur:

Si Deus nulla habuit instrumenta, mundum construere non potuit: Hæc connexio primo iudicio ex Logicæ legibus et sacræ Theologiæ auctoritate falsa iudicatur, quod Deus id solo nutu et verbo potuerit. At primum. Ergo &c. Complexio præcedit: Atecedens per species explicatur.

CAP. V. DE EFFICIENTE PER se, & per accidens.

TErtio, caussa efficiens per se efficit, aut per accidens.

Per se quæ facultate efficit: vt quæ natura vel consilio faciunt. Ventorum naturalis efficientia est, 1. *AEneid.*

Incubuere mari totúmque sedibus imis
Vna Eurúsque notúsque ruunt crebérque procellis
Africus, et vastos tollunt ad littora fluctus.

Consily exemplum est illa Ciceronis de se confessio. Susceptum bello, Cæsar, gesto etiam magna ex parte, nulla vi coactus, iudicio meo, ac voluntate ad ea arma profectus sum, quæ erant sumpta contra te.

Per accidens efficit caussa, quæ externa facultate efficit, vt iis, quæ fiunt necessitate vel fortuna.

Neces

Necessitate, cùm efficiens vi cogitur ad effectum, qualis est Pompeianorum excusatio. At mihi quidem (ait Orator) si proprium & verum nomen nostri mali quæratur, fatalis quædam calamitas incidisse videtur, & improuidas hominum mentes occupauisse, vt nemo mirari debeat, humana consilia diuina necessitate esse superata.

Fortuna est caussa per accidens, quando præter efficientis scopum aliquid accidit. Sic casu fortuito (ait Tullius 3. de Nat. Deorum) Phereo Iasoni profuit hostis, qui gladio vomicam eius aperuit, quam sanare medici non poterant. In hoc genere caussarum imprudentia connumerari solet. Ouid 2. Trist.

Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci
Cur imprudenti, cognita culpa mihi est?
Inscius Actæon vidit sine veste Dianam:
Præda suis canibus, nec minus ille fuit.
Scilicet in superis etiam fortuna luenda est:
Nec veniam, læso numine, casus habet.

Hinc sumitur deprecatio, qualis est pro Ligario: Ignosce pater, errauit, lapsus est, non putauit, si vnquam post hac? Et paulo post: Erraui, temerè feci, pœnitet, ad clementiam tuam confugio, delicti veniam peto, vt ignoscas oro.

Fortunæ autem nomen ignoratio caussarum confinxit: cùm enim aliquid præter consilium spemq; contigerit, fortuna vulgò dicitur: nec inscitè Iuuenalis.

Nullum numen abest, si sit prudentia: sed te
Nos facimus fortuna, deam, cælóque locamus.

QVAESTIONES EXPLICAT.

Quis tertius modus, & quod primum de eo præceptum?

TErtiò caussa efficiens per se efficit, aut per accidens.] Tertia diuisio est ex tertio modo efficiendi, quod efficiens vel sit per se, vel ex accidente, hoc est vel sua insitáque, vel aliena externáque facultate agat. Atque hæc diuisio hîc primum præceptum quo logicè sex Physicorum caussæ, Fatum, prouidentia, Fortuna, Natura, Ars, & voluntas comprehenduntur. 3. *Per se, per Accidens.*

Quod ſecundum præceptum?

Quæ cauſſa per ſe?

Per ſe quæ ſua facultate efficit.] Defi. eſt à forma, quæ eſt propria agendi facultas: vnde Ariſtoteli καθ' αὑτὸ per ſe, & κατὰ τὴν οὐσίαν per eſſentiam & naturam dicitur.

Quottuplex per ſe? Duplex.

Quottuplex.

Natura vel Conſilio agens.] Diuiſio enim hæc ſubijcitur in Naturæ vim inſitam, & Conſilij electionem. Natura φύσις, Conſilium νοῦς, καὶ ὄρεξις, προαίρεσις, mens, appetitus & electio eſt Ariſtoteli.

Quale exemplum Naturalis modi?

Enunciatum copulatum ex cauſsis natura efficientibus nempe Ventis, & effecto nempe Tempeſtate: quæ ita incredibilis deſcribitur, cùm fingit contrarios ventos ſimul flare.

Eurus, Notus & Africus incumbentes mari tempeſtatẽ excitant.

Huc pertinent omnes Phyſicæ & naturales rerum vires, quibus agunt procreando, augendo, minuendo, alterando, cæteráſq; mutationes in corporibus ciendo: vnde illi motus ad effectum pertinent.

Quale Conſilij exemplum?

Eſt enunciatum ex Cauſſa, eius modo & effecto; quod remoto diſſentaneo neceſſario modo ad augendam Cæſaris clementiam illuſtratur: Cicero ſua ſponte Pompeium ſecutus eſt.

Quod tertium?

Quæ per accidens.

Per accidens efficit, &c.] Definitio alterius modi à forma: quæ eſt facultas motus non in efficiente per ſe ſita, ſed extrinſecus attingens & impellens, vnde κατὰ συμβεβηκὸς per accidens dicitur, vbi diuiſio ſtatim comprehenditur à duplici motus efficacia, nempe, vi tum neceſſario impellente, tum occulto motu, quem caſum vocant, agente. Accidens ratione eius cui accidit adiunctum eſt; ſed quatenus mouet & impellit, efficiendi vim habet, & ratione effecti modus Cauſſæ eſt.

Quod

Quod quartum?

Quæ necessitas?

Necessitate cum Efficiens, &c.] Definitio Nec. à forma; quæ est violentia impellendi præter Efficientis voluntatem & consilium cogens; vt sic efficiens alterius coactu & vi faciat: vnde ἀναγκαία necessitas violenta Aristoteli dicitur.

Cedo exempli rationem?

Enthymema est ex Necessitatis modo, cui addatur propositio. Diuina necessitas humana consilia superat. At Pōpeiana Causſa fuit diuinæ necessitatis. Ergo in Pompeiana Causſa illa humana consilia superauit.

Quod quintum?

Quid fortuna?

Fortuna est causſa, &c.] Definitio fort. à genere & forma; quæ est vis occulta et efficienti humanitus ignota Fortunam Cicero in Topicis casu efficere ait: Casum autem de Diui. definit, cùm sic aliquid cecidit, vt vel non cadere, vel aliter cadere potuerit, fortuna igitur dicitur, quando vi occulta et obscura aliquid perficimus, quod non constituerāmus, vt euentus, nec præuisus, nec propositus fuerit.

Cedo exemplum?

Enunciatum ex Causſa eius modo et effecto, illustratū dissentaneo consilij modo: Hostis gladio Iasonis vomicam fortuito sanauit, Plin. lib. 7. Cic. 3. de Nat.

Quomodo vsus deinceps declaratur?

Tribus annotationibus exempla illustrantur. Quæ prima? I. *Annotatio.*

Prima est de singulari exemplo ceu specie, Imprudentia; cuius exemplum est Syllogistica querela de indigna pœna suę culpæ, à modo fortuito.

Fortuita culpa est etiam luenda: In postremis duobus versibus.

At mea culpa est fortuita:
Ergo luenda.

} permiscentur primis quatuor versibus, et exemplo illustrantur.

Significat autem potius negatè non luendam, ſed condonandam fuiſſe.

Quæ ſecunda annotatio?

Secunda eſt de peculiari vſu, duobus Enthymematis à modo commiſsi peccati per proſopopœiam Rei declarata: Imprudenter peccaui. Ergo mihi ignoſce.

Quæ tertia?

Fortuna in cauſſis.

Tertia eſt de huius modi occaſione, cùm nihil per ſe fortuitum ſit; quæ approbatur teſtimonio. Chriſtiani omnia bona diuina prouidentia, mala Satanæ calliditate & peruerſitate fieri intelligunt: attamen nomen hoc in arte non pro cauſſa, ſed pro cauſſa latente & occulto modo retinetur. Cicero in Top. Latent quæ ſubiecta ſunt fortunæ. Cũ enim nihil ſine cauſſa fiat, hoc ipſum eſt fortunæ, euentus obſcura cauſſa, quæ latenter efficit.

CAP. VI. DE MATERIA.

MAteria eſt cauſſa, ex qua res eſt. Hoc argumento ficto, apud Ouid. 2. Met. ſolis domus auro, pyropo, ebore, argento componitur.

Regia Solis erat ſublimibus alta columnis,
Clara micante auro, flammáſque imitante pyropo:
Cuius ebur nitidum, faſtigia ſumma tegebat,
Argenti bifores radiabant limine valuæ.

Cæſar. 1. bell. ciuil. Imperat militibus Cæſar, vt naues faciant, cuius generis eum ſuperioribus annis vſus Britanniæ docuerat: carinæ primùm ac ſtatumina ex leui materia fiebant: reliquum corpus nauium viminibus contextum, coriis integebatur.

QVAEST. EXPLICAT.

Quod Logicum de materia præceptum?

Quid Materia.

MAteria eſt cauſſa ex qua res eſt] Definitio à genere & forma; quæ eſt vis ſe efficienti præbens ex qua aliquid

quid efficiatur, ideoque particula, Ex, distinguitur. Procreans enim est caussa seu principium, vnde vel à quo fit primum, cum tamen non insit. Materia est caussa ex qua fit aliquid cum insit.

Quæ nomina & significatio Materiæ?

Nomina & significatio.

Ab Aristotele propriè nominatur ὕλη, materia, aliquando ἀναγκη, necessitas; rarò & minus propriè ὑποκείμενον subiectum. Quidam Caussam sine qua non vocant; quod naturam efficiendi non habeat, sed sine qua id quod fieri debeat, effici non queat: attamen Caussam sine qua non latius sumunt, vt etiam quædam adiuuantia & subiecta significet: quæ commodius ad suos locos referuntur.

Significat autem Materia logicè tum res corporeas & Physicas quæ sub sensum cadunt, tum incorporeas, quæ intelligentia comprehenduntur, imò etiam fictas, quæ nusquam extant, è quibus res eiusmodi fiant vel fieri fingantur. Sic artium præcepta, quæ per se sunt corporis expertia, earum Materiæ sunt. Et materiæ aureæ, argenteæ, & eburneæ, Regiæ solis ex adiuncto fulgore ab Ouidio finguntur.

Quidnam Materia arguit?

Materia arguit Effectum materiatum, & rursum ab eo arguitur.

Cedo primum exemplum?

Primum est enunciatum copulatum, ex quatuor fictis Materijs & effecto materiato. Nam illis Materijs effectum ita describitur permistis adiunctis, forma & partibus: Nude: Domus solis constat auro, pyropo, ebore, & argento.

Quale secundum?

Secundum est enunciatum copulatum ex materijs & effecto, quibus hoc adhibita partium distinctione arguitur & explicatur.

CAP. VII. DE FORMA.

CAusſæ primum genus eiusmodi est in efficiente & materia: secundum sequitur in forma & fine.

Forma eſt cauſſa, per quam res eſt id, quod eſt: ideoq́, hinc à cæteris rebus diſtinguitur, & forma ſimul cum re ipſa ingeneratur. Anima rationalis eſt forma hominis: quia per eam homo eſt homo, & diſtinguitur à cæteris omnibus naturis.

Geometricarum figurarum in triangulis, quadrãgulis ſua forma eſt: Phyſicarum cæli, terræ, arborum, piſcium ſua forma eſt, vnde præcipua rerum vt natura eſt, ſic erit explicatio, ſi poſſit inueniri: vt in artificioſis rebus facilius occurrat. Cæſar. 7. Muri autem omnes Gallici hac fere forma ſunt: trabes directæ perpetuæ in longitudinem, paribus internallis diſtantes inter ſe binos pedes, in ſolo collocantur: hæ reuinciuntur introrſus, & multo aggere veſtiuntur: ea autem, quæ diximus, interualla, grandibus in fronte ſaxis effarciuntur. His collocatis & coagmentatis, alius inſuper ordo adjicitur, vt idem illud internallum ſeruetur, neq́, inter ſe contingant trabes, ſed paribus intermiſſæ ſpatijs ſingulæ ſingulis ſaxis interiectis arctè contineantur: ſic deinceps omne opus contexitur: dum iſta muri altitudo expleatur: hoc cum in ſpeciem varietatemque opus deforme non eſt, alternis trabibus ac ſaxis, quæ rectis lineis ſuos ordines ſeruant: tum ad vtilitatem & defenſionem vrbium ſummam habet oportunitatem: quod & ab incendio lapis, & ab ariete materia defendit: quæ perpetuis trabibus pedes quadragenos plerunque introrſus reuincta, neque perrumpi, neque diſtrahi poteſt. Sic forma Virgiliani portus explicatur Aeneid. 1.

Eſt in ſeceſſu longo locus: inſula portum
Efficit obiectu laterum, quibus omnis ab alto
Frangitur, inque ſinus ſcindit ſeſe vnda reductos.
Hinc atque hinc vaſtæ rupes, geminíque minantur
In cælum ſcopuli, quorum ſub vertice latè
Æquora tuta ſilent tum ſcena coruſcis
Deſuper, horrentíque atrum nemus imminet vmbra,
Fronte ſub aduerſa ſcopulis pendentibus antrum.
Intus aquæ dulces, viuóque ſedilia ſaxo,
Nympharum domus: hic feſſas non vincula naues
Vlla tenent; vnco non alligat ancora morſu.

QVAEST. EXPLICAT.

Quod primum præceptum?

Forma

Quid est formâ?

FOrma est caussa per quam res, &c.] Definitio à genere & forma, quæ est vis & nota essentialis informationis, cõstitutionis & proprietatis, ideoque particula, Per, distinguitur.

Quod secundum?

Quæ formæ proprietates?

Ideoq́, hinc à cæteris, &c.] Consectarium duplicis axiomatis ad definitionem illustrandam prius est de essentiali differentia, qua res ab altera discrepat: quare ad hanc propriam sedem vera differentia è Porphyrij fragmento reuocanda est, quam tamen ille dissimilitudinis & aliorum etiam argumentorum notis variat: Alterum est de essentiali affectionis coniunctione; quod Forma simul cum reipsa ingeneretur & existat, quia sit præcipua pars essentiæ, qua mutata etiam manente corpore non eadem esse res videtur. Atque hinc ideò præcipuæ differentiæ enunciati necessarij distinguentur.

Differentia prædicabile.

Quæ nomina & significatio Formæ?

Quia formæ vtilitas præcipua duplex est (vt est 14. cap. 1. top.) vna cognitionis vt vnumquodque rectè cognoscatur; altera differentiæ, vt ab alijs distinguatur: prioris ratione μορφὴ, εἶδος παρὰδειγμα, καὶ λόγος, forma, species, exemplar & ratio nominatur: & describitur, λόγος τῆς οὐσίας ratio essentiæ οὐσία τοῦ πράγματος, essentia rei, λόγος εἰδοποιὸς τῆς οὐσίας ratio specifica & essentialis, λόγος εἰδοποιὸς συμπληρωτικὸς specifica, completiua & constitutiua: alterius vi διαφορὰ differentia, διαιρετικὴ, quæ species generum diuidat & distinguat appellatur. Et opponitur ὁμοιότητι similitudini; cùm similitudo & differentia fiunt duo è quatuor communibus Instrumentis, vide 2. par. Significat igitur forma logicè naturalem & essentialem rei notam, per quam quæque est id quod est & ab altera discrepat, vt etiam de incorporatis & fictis intelligatur.

Nomina & significatio.

Instrumenta.

Quæ hic ratio arguendi?

Forma arguit effectum formatum, ab eóque vicissim arguitur.

Quæ hic præceptorum demonstratio?

Exemplorum Inductio, qua etiam illa obseruata sunt.

Quod primum exemplum?

Primum nudum eſt & Phyſicum, quod ex definitione explicatur. Ratio autem propriè internæ partis, nempe Animæ forma eſt, qua totus tamen homo gubernatur: Corporis ſua etiam forma eſt quod ad cælum erectum ſit.

Quod ſecundum?

Secundo loco generalis & peculiaris Inductio eſt de rebus Geometricis & Phyſicis; vnde ſic omnibus rebus ſua forma eſſe intelligatur.

Quid inde ſequitur?

Propria explicatio è formæ Obſcuritas.

Conſectarium de vi & vſu in arguendo, deque formarum obſcuritate collatione propoſita. Communiter enim ex definitione formæ, rerum formas eſſe, & earum communem notam intelligimus; ſed nominatim eas ignoramus, aut ſi videamus vtcunque, vix tamen verbis exprimere poſſumus. Hinc propriæ definitiones rariores: & formarum loco ſæpe officia propriáque effecta, quæ illarum vi & efficacia exſtiterunt, vſurpantur.

Quod tertium?

Tertium eſt exemplum ſpeciale rei artificioſæ ad Conſectarium illuſtrandum. Eſt autem deſcriptio Effecti formati. i. Murorum gallicorum ex vnica quidem forma ſic mente animóq; ex longitudine & paribus ſpacijs concepta, ſed materiarum diſpoſitione copioſè informata & enunciatis collocata. Materiæ igitur, nempe trabes, agger, ſaxa; itemque finis, propugnatio vrbium formam illam illuſtrãt. Sic enim argumenta plura in deſcriptionibus & copioſis explicationibus concurrunt; ſed vnum quoddam genus præcipuum eſt quod à cæteris quaſi iuuatur.

Quod quartum?

Deſcriptio rei naturalis fictæ ad imitationem artificioſæ; Portus eſt res quæ deſcribitur: Deſcriptio ipſa eſt à forma vnica ſic animo etiam concepta, ſed vartè ſubiectis, adiunctis, partibúſque ita depicta & finibus illuſtrata vt menti obuerſari videatur.

Res igitur quæ deſcriptionem faciunt ſic diſtinguantur: 1. Receſſus: 2. Inſula. 3. Sinus: 4. Rupes: 5. Scopuli: 6. Maris tranquillitas: 7. Vmbra: 8. Nemus: 9. Antrum: 10. Aqua.

10, Aqua dulcis, seu riuuli fontium: 11. Sedilia. Tandem Finis & vsus vt naues & nautæ recreentur.

CAP. VIII. DE FINE.

FInis est caussa, cuius gratia res est. Physicis rebus finis homo propositus est: homini Deus. Omnium artium est aliquod summum bonum & finis extremus, vt Grammaticæ, benè loqui: Rhetoricæ, benè dicere: Logicæ, benè disserere. Iuno 1. Aeneid. connubij finem assumit, cùm Aeolo Deiopeiam pollicetur, solatij scilicet proliſq; gratia.

Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ,
Quarum (quæ forma pulcherrima) Deiopeiam
Connubio iungam stabili, propriámque dicabo,
Omnes vt tecum meritis pro talibus, annos
Exigat, & pulchra faciat te prole parentem.

In defensione Ligarij Cicero Tuberonem accusatorem vrget, cum armorum contra Cæsarem susceptorum finem premit. Et certè (ait) contra ipsum Cæsarem est congressus armatus. Quid enim Tubero tuus ille districtus in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? quis sensus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?

QVAEST. EXPLICAT.
Quod hîc primum præceptum?

FInis est Caussa cuius gratia res est.] Definitio à genere & forma, quæ vis est mouens vt boni, quod in fine inest, adipiscendi aut mali euitandi gratia res vel actio efficiatur vel impediatur; ideóque particula, Propter, vel Gratia & Caussa distinguitur: & in vsu, VT, quod fiat, Ne, quod impediatur hîc significat. *Quid Finis?*

Quæ hic vis affectionis?

Finis arguit Effectum finitum; & vicissim ab eo arguitur.

Quæ nomina & significatio Finis?

Finis græcè τέλος à τελέω perficio, quòd rerum perfectio adeptione finis constet, item σκοπὸς quò intuemur & cursum nostrum dirigimus; & ἔσχατος extremum, nempe vsus *Nomina & significatio.*

& ſummum rei bonum nominatur. Nomen autem finis à terminis tranſlatum videtur, quibus vt res clauduntur, ita vnaquæque res ſuo fine comprehenditur, ad quem reliquæ omnes cauſſæ vt ad rei proprium vſum & ſummũ bonum referuntur. Atque ita logicè omnis entis & non entis ſummum bonum vſúmque ſignificat.

Quod primum exemplorum genus?

Primum eſt nudum quo quidam fines effectorum finitorum indicantur: quorum primum eſt Phyſicum, alterũ Ethicum, cætera artium.

Cedo ſecundi exempli rationem.

Secũdum eſt collocatum Enunciatis & quidẽ poëticum de re ficta; quæ tamen res œconomicas ſignificat: Nam præmium Æolo à Iunone enunciato ita propoſitum:

Formoſiſsimam Nympham tibi matrimonio iungam: duobus finibus ornatur & commendatur: quibus tertius in ſacris rectè additur, Vitatio impuritatis. Primum etiam Enunciatum minore & forma coniugij, ſtabilitate & proprietate, illuſtratur.

Da tertium.

Tertium eſt Oratorium ſcilicet de rebus politicis, militaribus, non togatis Enunciato ex efficiente, fine & effecto iudicatum, & multis laudibus ornatum: Nude: Tubero, armatus contra Cæſarem congreſſus eſt vt victoria potiretur. Forma autem & modus tractationis obſeruetur, quòd interrogando finem premat & quaſi extorqueat. Apud Ciceronem eſt recriminatio ſyllogiſtica, cuius hîc pars vt enunciatum conſideratur.

CAP. IX. DE EFFECTIS.

EFfectum eſt, quod de cauſſis exiſtit: Siue igitur gignatur, ſiue corrumpatur, ſiue modo quolibet moueatur quidlibet, hic motus & res motu facta, effectum dicitur.

Huius loci ſunt laudes & vituperationes, quarum pleni ſunt libri ſacri & profani. Aeneid. 6. facta variorum populorum comparantur ad nominis Romani laudem,

Excudunt alij ſpirantia mollius æra:
Credo equidem, ducent viuos de marmore vultus,

Orabunt

Orabunt cauſſas melius, cælíque meatus
Deſcribent radio, & ſurgentia ſydera dicent.
Tu regere imperio populos Romane memento:
Hæ tibi erunt artes, pacíque imponere morem,
Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Huc dicta ſcripta q, referenda ſunt.

Pericles & Hortenſius benè dicendi laude celebrantur: eodemq, argumento Demoſthenes & Cicero etiam benè ſcribendi.

Adhunc locum referuntur conſilia & deliberationes, etiam ſi omnino ad exitum perducta non fuerint.

Parmenio & Philotas morte mulctati ſunt, quia coniurationis in Alexandrum eſſent ſuſpecti, vt Curtius & Arrianus meminerunt. De Lentulo & Cethego, aliiſq, Catilinæ popularibus, Romani Senatus indicio ſupplicium ſumptum eſt.

Sunt etiam effecta virtutum & vitiorum, Horatius hoc modo ebrietatis effecta deſcribit.

Quid non ebrietas deſignat? operta recludit,
Spes iubet eſſe ratas, in prælia trudit inermem:
Solicitis animis onus eximit, ac docet artes.
Fœcundi calices quem non fecere diſertum?
Contracta quem non in paupertate ſolutum?

QVAEST. EXPLICAT.

Quod hîc primum præceptum?

Effectum eſt, quod è cauſſis exiſtit.] Definitio à genere intellecto & forma, quæ eſt cauſſarum vi exiſtere, i. ex concurſu & quaſi conſpiratione cauſſarum euenire. Itaque omnibus cauſsis vnum genus Effectorum reſpondet, quod non genere ſed nominibus & modis tantum variatur vt Effectum procreatum, conſeruatum, formatum, finitúmque nominetur. *Quid eſt effectum?*

Quæ hîc vis arguendi?

Effectum arguit Cauſſam & ab ea viciſsim arguitur.

Quod ſecundum præceptum?

Sine igitur gignatur, &c.] Axioma ex definitione deriuatum de communi effectorum notione diſtinctione generalium quorundam modorum exponitur. Nam vt procreantis *Quæ communis effectorum notio.*

creantis & conseruantis, sic etiam Corumpentis & Deserentis, imo cuiuslibet mouentis actio, motus, & res motu facta aut corrupta generali effectorum nomine significatur.

Cur mouere, moueri, & motus sunt in Effectis?

Cum forma naturalis rebus omnibus impressa caussa sit omnium motuum, faciátque vt res naturales generentur, corrumpantur, augeantur, minuantur, alterentur, loco moueantur: certè qui motus illa vi existit, illius effectus rectè dicitur.

Quæ nomina & significatio Effecti?

Hoc argumentum in Organa ἐνέργεια, πρᾶξις, ἔργον, ἐνέργημα, πόησις, γένεσις, id est: Caussatum (si ita liceret dicere) actio, opus, actus, effectio, generatio; Latinè Effectum, Effectus, Euentus vel Euentum, nominatur: ideoque Categoria Actionis hîc propriam sedem habet. Significat igitur Effectus hunc quasi fructum caussarum siue corporeum siue incorporeum, siue fictum, siue præteritum, siue præsentem & futurum, qui vel motus ipse sit, vel res motu facta aut perdita. Itaque Efficio, effectio, effectus; euenire, euentus; agere, actio, actus; opus, mouens, motio, motus, motufactum: generare, generatio, generatum; crescere, quod creuit; corrumpere, corruptio, interitus & similia pariter hoc genere significantur.

Nomina & significatio. Actio.

Quomodo vsus explicatur?

Primò generatim indicatur; deinde varietas specialium exemplorum modis quibusdam exponitur.

Quis primus modus?

1. *Modus.* 1 Modus est in factis ipsis, & Officijs: cuius in laudationibus & vituperationibus plurimus vsus est: quòd laus omnis ex Actione proueniat, vt ait Aristoteles; & laudentur omnia, quæ sunt cum virtute coniuncta; quæ autem cum vitijs vituperentur, vt Cicero testatur.

Quale est de factis exemplum?

Factorum exemplum est enunciatorum ex Caussis & Effectis dissimilis comparationis, vbi effecta suas Caussas arguunt & commendant. Protasis autem tota de variorum populorum dissimilibus factis ad Antapodosin de

populi

populi Romani factis illustribus arguendam & commendandam pertinet. Sic enim Enunciatum propositum argumentis per alia enunciata arguitur, vbi tamen Syllogismus nullus est. Summatim: Illustria officia & facinora aliorum populorum: At multô illustriora populi Romani.

Quis secundus? & quale eius exemplum?

2 Modus est in Dictis & Scriptis; quæ ratione Causſæ suæ effecta, ratione alterius rei arguendæ testimonia sunt: declaratur autem exemplis nudis breuitérque indicatis. 2. *Modus.*

Quis tertius?

Tertius modus est in Consilijs, Deliberationibus & decretis; quæ etiam vt effecta suos auctores commendant aut vituperant; sed cùm aliò referuntur vt auctoritas consiliorum spectetur, testimonia sunt. Consiliorum ἐκβάσεις exitus, Effectus appellant, ex quibus consilia spectari & probari solent, vt est Epist. 14. lib. 1. Att. & 7. lib. Fam. Declaratur etiam nudis exemplis; quæ materiam Syllogismi continent. Confer. Plutarc. in Alexand. Diod. lib. 17. Oros. lib. 3 Cap. 18. 3. *Modus.*

Quis quartus?

4 Modus de rerum incorporearum, virtutum & vitiorum effectus, declaratur exemplo speciali vitij i. Ebrietatis, quæ ex effectis per enunciata describitur. Sic enim turpia effecta turpitudinem Causſæ arguunt. 4. *Modus.*

Hactenus de vtroque argumento affecto Absolutè consentanei generis separatis quidem Locis tractatio, sed mutua affectione doctrinæ explicatio, & per exempla demonstratio. Hinc Aristoteles mutuũ illum mutuæ affectionis vsum Circulum appellauit, quòd retro vicissim commeent & conuertantur: quanquam ille & speciatim de ijs, quæ aliæ aliorum causſæ sunt vsurpatur. Argumentum autem è Causis & præsertim formis ad effecta probationem & explicationem præstantiorem facit, ideóque διότι & διάτι propter quid; quam Ab effectis ad causſas quod ideo ὅτι quia dicitur. *Circulus.*

CAP. X. DE SVBIECTO.

ARgumentum modo quodam consentaneum succedit, vt subiectum & adiunctum.

Subiectum

Subiectum est, cui aliquid adiungitur. Anima est subiectum scientiæ, ignorantiæ, virtutis, vitij, quia hæc præter essentiam accedunt. Corpus sanitatis, morbi, roboris, infirmitatis, pulchritudinis, deformitatis. Homo subiectum est diuitiarum, paupertatis, honoris, infamiæ, vestitus, comitatus. Locus est subiectum rei locatæ.

Sic Philosophi diuinis entibus, licet parte & magnitudine carentibus attribuunt locum. Sic Geometræ locum, locique differentias in rebus geometricis: sic Phisici multò etiam diligentius in rebus Physicis considerant, in mundo, in elementis simplicibus, in rebus compositis. Sic Virgilius in Georgicis suum quemque propositis rebus locum deligendum admonet, segetibus, arboribus, vitibus, pascuis:

At prius ignotum ferro quam scindimus æquor,
Ventos et varium cæli prædiscere morem
Cura sit, ac patrios cultúsque habitúsque locorum:
Et quid quæque ferat regio, et quid quæque recuset.
Hic segetes, illic veniunt felicius vuæ:
Arborei fœtus alibi, atque iniussa virescunt
Gramina.

Sensilia sensuum, & res virtutibus ac vitijs propositæ, subiecta vitiorum & virtutum hoc modo nominantur: Color est subiectum visus, sonus subiectum auditus quia hi sensus in his sensilibus occupantur & exercentur.

Virtutes & vitia declarantur in Ethicis hoc argumento: temperantia & intemperantia voluptate, magnanimitas & ignauia periculo: liberalitas & auaritia diuitijs.

Sic res innumerabilis Arithmeticæ, mensurabilis (vt ita dicam) Geometriæ subijcitur. Eiusmodi subiecto Cicero 2. Agr. disputat, inter Campanos nullam contentionem esse, quia nullus sit honor. Non gloriæ cupiditate (ait) efferebantur propterea quòd vbi honos publicè non est ibi cupiditas gloriæ esse non potest, non contentione nec ambitione discordes: nihil enim supererat, de quo certarent, nihil quod contrà peterent, nihil vbi dissiderent: Eodem argumento à Propertio dictum est:

Nauita de ventis, de tauris narrat arator:
Enumerat miles vulnera, pastor oues.

QVAEST.

QVAESTIONES EXPLICAT.

Quomodo Methodus deinceps continuatur?

TRansitione imperfecta alterum genus Consentanei duobus suæ affectionis nominibus proponitur et separatim explicatur: Illud autem ita comprehenditur.

II. CONSENTANEI MODO quodam affectio in

SVBIECTO—&—ADIVNCTO.

Quod primum de Subiecto præceptum?

Quid subiectum?

Subiectum est cui aliquid adiungitur.] Definitio à forma, quæ est habere aliquid adiūctum nempe præter essentiam causarum vi constitutam.

Quæ hîc ratio arguendi?

Subiectum arguit adiunctum, et ab hoc vicissim arguitur.

Quæ subiecti nomina & significatio?

Aristoteli generatim ὑποκείμενον subiectum, et δεκτικὸν receptaculum adiunctorum: Certa etiam ratione Substantia, quatenus sustineat attributa, certo modo VBI, quatenus res locatas comprehendit, vel Situs Loci ἔστως; Alijs certo modo Obiectum; Porphyrio autem impropria affectione Species Proprij et Accidentis nominatur. Significat autē generatim quoduis ens vel non ens, cui aliquid præter causarum essentiam adiūgitur et accidit, siue id proprium

Nomina.
Substantia.
Vbi.
Situs.
Species.

sit

sit & ita insitum vt non queat nisi cogitatione auelli; sm
commune & accidens, quod reipsa queat separari. Itaq
Subiectum non tantum οὐσία est, aut ὑπόστασις. i. Natura, E
sentia & Substantia, quæ seiuncta ab attributis sola consi
stere, & suis viribus permanere possit: sed logicè etia
quidlibet, quod vel animo et ratione intelligi, vel sensu per
cipi, aut etiam ita fingi potest, vt aliud ei adiungatur, quo
in se, vel ad, et circum se recipiat. Itaque etiam qualitate
sunt qnalitatibus subiectæ, vt eruditio est laudabilis. Vir
tus est præclara etc. Cæteræ autem voces, Substantia, vb
et Situs, peculiaria exempla et modos Subiectorum signi
ficāt. Species omnino ratione generis dicitur et significat
cui si aliquid mutata generis affectione adiungatur, Sub
iecti nomen recipit.

Quomodo deinceps explicatur?

Cùm genere fit indiuiduum: vsus Inductione variorum
exemplorumexplicatur; quæ docendi Caussa quatuor mo
dis distingui possunt.

Quis primus modus?

1. *Modus.* 1 Modus est Subiecti recipientis adiuncta in se vn
præcipuè δεκτικὸν videtur nominari; cui sic Rodolphus dic
Adiacentia inniti. Et hoc modo Porphyrius Speciei im
propriè tribuit Proprium. Hic autem modus duobus e
emplis nudis, vno Animæ, altero Corporis, et adiunctis
illis insitis comprehenditur potius quàm præcepti for
exprimitur: deinde quadam adiunctorum forma, quæ
præter essentiam accedere, illustratur: vnde etiam moi
quodam consentanea nominantur.

Quis secundus?

2. *Modus.* 2 Modus est Subiecti recipientis ad, vel circum se ad
iuncta circumstantia, vel in illud incūbentia: qui nudo e
emplo Hominis, adiunctísque illum extrinsecus attinge
tibus explicatur. Sic Domini et possessores comitatum
ministros, diuitias et possessiones adinnctas habent.

Quis tertius?

3. *Modus.* 3 Modus est L o c v s, qui est subiectum rei locatæ, h
Locus. est spatium et interuallum comprehendens adiuncta loc
ta, quæ in illo esse, vel illud occupare, dicuntur. Atque h
mo

modo aliquid vbi, vel certo ſitu poſitum eſſe dicitur: quæ duo prædicamenta hîc igitur Logicè docentur. Vbi, ſitus.

Loci naturam & rationem planius explicato.

Locus eſt res planè Logica, entíſque & non entis communis, nempè χώρα ἢ διάστημα regio & ſpacium ſola deſignatione, mentíſque configuratione conſtans, quo res locatæ comprehenduntur. Itaque non tantum eſt ambitus rei locatæ, ſed totum interius ſpacium, cuius differentiæ ſunt tum in ambitu, dexterum, ſiniſtrum, ante, & poſt; tum in interiore ſpacio, ſurſum, deorſum, & denique loci medium: quæ non tantum cõſtant θέσει πρὸς ἡμᾶς ſitu quo ad nos, ſed etiam τῇ φύσει ἢ δυνάμει natura & vi ſua. Quo ad nos enim ſitus mutatur, vt ſæpe dexterum ſit nobis, quòd erat ſiniſtrum. Eſt enim Locus menſura ſitus eorum quæ locantur, ſicut tempus menſura motus eorum quæ mouentur: qua ſpacium ita locatis, & omnibus eorum partibus exæquatur, vt à loco res locata non terminetur, ſed hæc ſibi illum terminet; & Locus ipſe ſeu στάσις ſtatus & ſitus ſit ſtabilis & permanens, habeátque fixas in natura & immutabiles differentias, etiamſi in rebus locatis ἀπομετάστασις tranſmutatio fiat, quæ illas à loco ſeparet; & denique διάστημα Spacium ipſum ſit incorporeum, etiamſi locus aliquando adiuncto ſit corporeus. Attamen non ſolum conſtans illa fixáque loci deſignatio de rebus corporeis & magnitudinibus intelligatur; verũ prorſus logica conſideratio de rebus etiam incorporeis & magnitudine carentibus, imo de fictis tandem etiam cõcipiatur; quemadmodum Ariſtoteles VBI ait eſſe Cotegoriam & genus entis, & Locum ſpeciem entis. i. Logicam omnino & communem ideam. Atque locus quiſq; & Locati ſitus pro locati natura & ratione intelligatur; vt de rebus Phyſicis locus Phyſicus, & ſitus in quo eſſe dicantur; de Geometricis geometricus, & ſitus, quòd illæ ſolæ occupent locum; de finitis finitus, de infinitis infinitus, de fictis fictus, & ſitus talis, quod in loco eſſe dicantur vel fingantur.

Quomodo Loci vſus declaratur?

Inductione exempla nuda breuiter indicantur; quæ in ſuis diſciplinis copioſè hoc inſtrumento explicantur. Sic

Philosophi Deo supremo motori, qui sit sine parte & magnitudine, supremam mundi superficiem attribuunt: sed vt Deus infinitus sic locus infinitus intelligendus. Geometræ docent proprium esse magnitudinis partes habere alicubi sitas: quibus solis locus occupetur & compleatur. Atq; ita non modo corpora, sed etiam puncta, lineæ, & superficies sunt in loco, & quidem puncta extrema, quę se tangũt, in eodem loco, &c. In Physicis denique locus minime dubius est: imo lux duplex, triplex, cẽtuplex deniq; in eodem loco esse potest: at corpora duo non possunt. Postremò tota cæli & astrorum positio & locatio describitur immutabili designatione orbium, circulorum & linearum.

Quale illud Virgilij exemplum?

Est speciale Physicum Enthymemate ex distributione subiectorũ cum suis adiunctis electionem soli concludens:

Alius ager segetes, alius vuas, alius arbores, alius gramina felicius producit.

Ergo soli delectus habendus. Consequens præcedit.

Quis quartus?

4. Modus. Obiectum.

4 Modus est Subiecti, quod ita adiuncto propositum est, vt hoc in illo occupetur & exerceatur: vnde Obiectum etiam, & Materia impropria, atque translatè seges nominatur. Aristoteli, Philo. lib. 4. cap. 5. dicuntur ὑποκείμενα πρὸς τὴν αἴσθησιν subiecta quæ faciunt sensum: quia sensus & sic reliqua adiũcta mouentur & incitantur rebus incidentibus & obiectis: vnde quibusdam ad efficiẽtem hoc genus referendum videtur: Sed omnibus argumentis sua quędam vis est, vt & huic generi quasi mouendi vel potius recipiendi & patiendi; quæ ideo efficiens non est, quod ab ea nec adiunctum, nec adiuncti opus propriè existat, sed potius exercendi occasionem habeat.

Quibus exemplis illustratur?

Primò nudis generalibus hic modus comprehenditur; specialibúsq;, 1. physicis, 2. ethicis, 3. artium illustratur: Deinde vsus duobus exemplis collocatis demonstratur.

Quale prius?

Syllogismus negatus à negato Subiecto:

Ambitiosa contentio est de honore.

Iam

Inter Campanos non est honos:
Nam Romani Capuæ nullum relinquerant,
Ergo nec ambitiosa contentio.

Quale alterum?

Enunciatum Copulatum ex quatuor subiectis & adiunctis: quo hæc per illa explicantur & arguuntur. Infert autem inde, Ita se de amoribus suis loqui.

CAP. XI. DE ADIVNCTO.

ADiunctum est; cui aliquid subijcitur: quod argumentum etsi subiecto est leuius, attamen est copiosius & frequentius. Itaque de eiusmodi signis ait Ouid. de Remed.

Forsitan hæc aliquis (nam sunt quoque) panua vocabit;
Sed quæ non prosunt singula, multa iuuant.

Animi corporisque, & totius hominis bona & mala quæ dicuntur adiuncta sunt animi, corporis, hominis. Denique, quicquid vlli subiecto extrinsecus accidit, adiunctum eius est.

Vt autem locus est in subiectis, sic tempus est in adiunctis, duratio nempe rerum, præteriti, præsens, futura: omnino q; qualitates subiectis præter causas adiunctæ, siue propriæ sint, quæ omni soli q; subiecto semper cõueniũt, vt homini risus, equo hinnitus, cani latratus: siue communes, quæcunq; non sunt eo modo propriæ. Hoc genere argumenti Fannium Chæream Cicero pro Roscio Comœdo cauillatur. Nónne ipsum caput & supercilia illa penitus abrasa, olere malitiã, & clamitare calliditatem videntur? Nónne ab imis vnguibus vsq; ad verticẽ summũ (si quã cõiecturã affers homini tacita corporis figura) ex fraude, fallacijs, mendacijs cõstare totus videtur? qui idcirco capite & supercilijs semper est rasis, ne pilum vllũ viri boni habere dicatur: Sic Martialis 12. lib. Zoilum ludit.

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine luscus,
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

Sic veritus & comitatus res adiunctæ sunt: quo circunstantiæ genere Dido venatum proficiscens, magnificè 4. AEneid. depingitur:

Oceanum interea surgens aurora reliquit.
Is portis iubare exorto delecta iuuentus:
Retia rara, plagæ, lato venabula ferro:
Massylique ruunt equites, & odora canum vis:

Reginam thalamo cunctantem, ad limina primi
Pænorum expectant, oſtróque inſignis & auro
Stat ſonipes, ac frena ferox ſpumantia mandit.
Tandem progreditur magna ſtipante caterua
Sydoniam picto chlamydem circundata limbo,
Cui pharetra ex humero, crines nodantur in aurum
Aurea purpuream, ſubnectit fibula veſtem.

Eſt verò adiunctorum ad ſubiecta, quibus occupantur, vſus item magnus. Hoc argumento Plato miseras ciuitates auguratur, quæ medicorum & iudicum multitudine indigeant, quia multam quoque & intemperantiam & iniuſtitiam in ea ciuitate verſari neceſſe ſit.

Sed conſentaneorum categoria ſic eſt, vnde quidquis alteri cõſentaneum, vel idem vel vnum dici poſſit: omnéſque modi vnitatis, &, vt ita dicam, identitatis huc ſunt tanquam ad primos & ſimplices fontes referendi.

QVAESTIONES EXPLICAT.

Quod hîc primum præceptum?

Quid adiunctum?

Adiunctum eſt cui aliquid ſubijcitur.] Definitio à formâ, quæ eſt aliquid ſubiectum habere, cui inſuper iũgatur.

Quæ Appellationes & ſignificatio?

Nomina.

Ariſtoteles ὑπαρχόντων & συμβεβηκὸς accidens hac affectione ſæpe opponit: attamen Accidentis nomine etiam effecta, adiuncta et comparata in Topicis permiſcet, quo etiam ſæpe fortuitum aliquid, et cauſſa per accidens ſignificatur. Quare Ramus hoc nomen ambiguum euitauit, vt et hæc, πάθος, πάθημα affectio. περιουσία autem et περίστασις Circumſtantia, vt Quinctilianus cap. 10. lib. 5. interpretatur, fere hanc adiunctorum vim ſignificant: ſed ADIVNCTVM Ciceronis verbum, qui etiam Coniunctum vocat, aptiſſimum eſt ad id de quo agitur exprimendum. Significat autem quicquid præter eſſentiam accedit, atque inſuper iungitur, cùm ſubiectum ſuis cauſis integrum conſtiterit: atque ita quicquid à logicis vel Rhetorib. de rebus circumſtantibus, adiunctis ſignis, et de argumentis conſentaneis non eſſentialibus ſiue ſuis ſiue rerum nominibus expreſsis vtiè præcipitur, id logicè et commodiſsimè quidem Adiuncti

Circumſtantia.

Loc.

iuncti Categoria comprehenditur. Hîc igitur propria sedes est Categorematum, Proprij et Accidentis: quanquam Porphyrius hîc etiam effecta confundit: item Categoriarum Quantitatis, et Qualitatis, cum simpliciter considerantur, Passionis, Temporis vel Quãdo, Habitus vel Habere. Hîc Rodolphi et aliorum Loci, Adiacentia, Connexa, Tempus, et fere Contingentia comprehendenduntur: et quæq; in suos exemplorum quasi modos rectissime cadũt.

Proprium.
Accidens.
Quantitas.
Qualitas.
Passio.
Quando.
Habitus.
Adiacens.
Connexa.
Tempus.
Conting.

Quod secundum præceptum?

De Axiomate.

Quod etsi.] Axioma est de vi et Copia huius argumenti collatione et testimonio explicatum. Atq; Rhetores etiam ita monent ex ita multis signis cõiecturam sumi. Quinct. lib. 4. cap. 5.

Quæ præceptorum demonstratio?

Per exẽpla, quæ ijsdem modis distinguuntur, sed vspiam coniunguntur.

Quis primus modus?

1 Modus est adiunctorum inhærentium et insitorum: quomodo ὑπάρχον fere dicitur, eodẽ.nq; Proprium, aliquod Accidens, Quantitas, Qualitas, et Adiacentia præcipuè continentur. Vt, Homo est virtute præditus. Homo est iustus. Homo est pietate et eruditione imbutus.

1. Modus.

Quis secundus?

2 Modus est Adiunctorum Circumstantium, quæ adsunt et extrinsecus attingunt: quo modo περιστατικὸν, Circũstantia magis dicitur; et aliquod etiam Accidens, quædam Contingentia, et præcipuè Connexa et Habitus comprehenduntur, vt, Homo est dives, comitatus, togatus, palliatus, etc. Sed hi duo hîc breuiter generalibus exemplis coniunctim iudicantur, et adiunctorum communi forma illustrantur.

2. Modus.

Quis tertius?

3 Modus est rerum locatarum et sic Temporis: quod ad explicationem rerum plurimum momenti habet. Atq; hæc sedes Categoriæ, Quando.

3. Modus.
Tempus.
Quando.

Quod hîc tertium præceptum?

Tempus est duratio, &c.] Defin. à genere et forma distributa;

stributa: quæ significat quamlibet durationis circunstantiam. Intellige igitur logicè de duratione ab infinito tempore æterna, quam nulla certa temporum circumscriptio metiatur, vt sit quælibet mensura motus eorum quæ mouentur.

Quod quartum?

Quotuplicia.

Omninoq́, qualitates, &c.] Distinctio adiunctorum ex quadam forma in Propria & Communia: illa in primum modum, hæc in omnes cadunt.

Quæ qualitates propriæ?

Quid Proprium?

Propriæ qualitates sunt quæ omni soliq́, subiecto semper conueniunt.] Defi. proprij à forma duplicis proprietatis; quæ est propria & pene essentialis affectio, vt omni semper & soli rei subiectæ inhæreat. Sic autem Logica Proprij affectio est ad Subiectum, non ad Speciem, cui genus respondet. Genus enim Specierum essentiales causas continet; Proprium non item, sed integræ essentiæ inhæret. Præterea etiam Porphyrij triplex Proprij distinctio, non tantum propria, sed etiam communia indicat; ideoque vana est.

Quibus exemplis declaratur?

Tribus nudis & Physicis, ex quibus enunciata conficiantur.

Quæ communes qualitates?

Quæ communia adiuncta?

Communes sunt quæ non sunt eodem modo propriæ.] Defi. 3 forma, quæ est quoquo alio modo subiectum attingere.

Qualia deinceps exempla?

Collocatione iudicata de communibus adiunctis 1.2. & 3. modi.

Retexe primum.

Primum est Syllogismus ex Physiognomonicis corporis adiunctis ad animi malitiam arguendam:

Qui lineamenta malitiæ habet, estque rasus; is malitiosus est. At Fannius ea habet, & est rasus. Ergo Fannius malitiosus. Propositio esset documentum Physiognomonicum, pro qua Prolepsis in Parentheſi collocatur. Assump-

tio

tio præcedit. Complexio finc illustrata sequitur.

Retexe secundum.

Enthymema est ex quatuor adiunctis corporis similiter ad animi malitiam concludendam. Ordo legitimus & perspicuus est. Huc tota, si qua est, Physiognomonia, Prognostica de tempestatibus, Σημειωτικὴ medicorum de morbi & sanitatis signis, & denique Rhetorum signa ex vultu & habitu corporis pertinent. *Modi 1. & 2. generalia.*

Expone tertium.

Tertium est secundi & tertij modi enunciatis collocatum. Est enim Descriptio subiecti (nempe Didonis) ex varijs adiunctis rebúsque circumstantibus enunciatis perpetuis disposita: éstque hoc copiæ & amplificationis exemplum, de qua parte tertia. Nudè & breuiter ita comprehenditur: quemadmodum pueris imitationis caussa similia proponentur: Dido regina magnificè ornata, regio comitatu venatum proficiscitur. Sed adiunctâ illa dum enumerantur, copiam faciunt. *Imitatio parte 3.*

Retexe singula.

Subiectum descriptum medio loco decorè attingitur (REGINAM) subiectóque loco (thalamo) illustratur. Descriptio autem ordine ex his adiunctis conficitur. 1. Est tẽpus tertij modi: 2. Iuuentus secundi, vt & cætera: 3. Instrumenta venatoria: 4. Equites: 5. Canes: 6. Principes: 7. Sonipes, qui & ipse Effecto & adiuncto suo obiter describitur: 8. Stipatores & puellæ: 9. Habitus regalis, Chlamys, Pharetra, aurea vitta, fibula.

Quis quartus?

4. Modus est adiunctorum in subiecto proposito occupatorum: qui exemplo speciali declaratur: in quo est Syllogismi materia Platonis de ciuitatis quadam miseria ex adiunctis in ea occupatis ratiocinantis & ita colligentis. *4. Modus. 3. de Rep.*

Iudices & medici in iniustitia & intemperantia coercenda occupantur.

At in nostra ciuitate sint fortasse multi iudices & medici.

Ergo erit & multa iniustitia & intemperantia.

Tale fuerit.

Vbi vultures biduo aut triduo ante conspiciuntur: ibi cadauer futurum est. Plin. lib. 10. cap. 7.

At hic conspiciuntur: Ergo cadauer futurum est.

Quid postremò hîc docetur?

Sed consentaneorum, &c.] Concluditur Categoria argumenti Simplicis Consentanei axiomate de eius fructibus, quos arguendo edit. Hæc enim genera arguunt, quemadmodum quiduis alteri consentiat, an naturæ essentiali cõstitutione, vt absolutè consentanea; an verò aduentitia ratione, vt modo quodam Consentanea. Atque ita in his sunt primi fontes & modi; quibus duo quælibet aut plura dicantur idem & vnum: qui modi quatuor simplices omninò sunt, è Caussis, Effectis, Subiectis & Adiunctis: quemadmodum Aristoteles in eosdem incidit, cùm docet vnum dici, οὐσίᾳ, ποιήσει, ὑποκειμένῳ, παθήσῃ: quanquam rem totam nomine vnius & entis nimis confundit. Quæ igitur illa argumenta eadem habẽt, vt easdem caussas & ita deinceps, ea idem & vnum dicuntur.

CAP. XII. DE DIVERSIS.

ARgumentum primum consentaneum expositum est. Dissentaneum sequitur, quod à re dissentit: sunt autem dissentanea inter se æque manifesta, alterumq; ab altero æqualiter arguitur: tametsi sua dissensione clarius elucescant. Dissentanea sunt diuersa vel opposita.

Diuersa sunt dissentanea quæ sola ratione dissentiunt, Quo de genere sunt illa frequentissima, Non hoc, Sed illud. Quanquam, Tamen pro Pompeio, Non victoriam, sed insignia victoriæ reportarunt, Ouid. 2. de arte:

Non formosus erat, sed erat facundus Vlysses.

2. Æn. Hic Priamus (quanquam in media iam morte tenetur)

Non tamen abstinuit.

Paulo secus in Eunucho.

Nam si ego digna hac contumelia

Sunt

Sum maximè: at tu indignus qui faceres tamen.

Item illa aliusmodi. Pro Liger. Scelus tu illud vocas Tuberoi? cur? isto enim nomine illa adhuc caussa caruit. Alij enim errorem appellant, alij timorem, qui durius, spem, cupiditatem, odium, pertinaciam, qui grauissimè temeritatem: scelus præter te adhuc nemo.

QVAESTIONES EXPLICAT.

De Dissentan.

Quomodo hic Methodus continetur?

TRansitione perfecta, à Primo Consentaneo ad Primũ Dissentaneum.

Cur Dissentanea sunt argumenta prima?

Quia nec eorum vis & affectio superiorum consentaneorum similis est; cùm in dissensione versentur; nec eorum doctrina aut vsus à superioribus pendet; sed vt propriam affectionem habent, quæ in antithesi consistit; sic & doctrina vsúsque sua proprietate nititur. Attamen sæpe hæc consideratio in superiora incidit, vt Caussæ & Effecta, Subiecta & Adiuncta inter se Consentanea, alijs oppositа sint dissentanea, dicantúrque contrariæ caussæ, &c. quæ ratio non ortum argumentum (hoc enim haberet eandem affectionem cum primo,) facit; sed duplicem considerationem diuersarum affectionum in argumentis primis requirit; quod ita de comparatis etiam intelligendum est.

Quod hîc primum præceptum?

Dissentaneum est, quod à re dissentit.] Def. à genere intellecto, (quod argumentum simplex) & forma: quæ est affectionis dissensio. Definitio generalis omnino est, quæ tum leuissimas rationum dissentiones, tum vehementiores rerum oppositiones complectitur. Atque in hoc genere passim affecta vno nomine & loco explicantur. *Quid Dissentaneum?*

Quæ hic affectio arguendi?

Dissentaneum quodlibet arguit suum dissentaneum; & sic per species, Diuersum arguit diuersum; Disparatum, disparatum, &c.

Quæ appellatio & significatio?

Nomina. Vt Consentaneum de superiore consentiente, eáque duplici affectione; ita Dissentaneum de hoc dissentiente affectu Ciceronis vocabulum est, quo quælibet quocunq; modo siue sola ratione, siue re & ratione dissentiens, discrepãs, distans, diuersa & opposita affectio significatur. Aristoteles ἀντικείμενα Opposita hoc genus nominat: quod quidam sequuntur: Cicero hoc vniuersum genus vno communionis symbolo non est complexus. Rodolphus Repugnantia vocat, quæ in Opposita & Diuersa diuidit, vt Ramus aliquando Opposita genus ipsum in Contraria & Repugnantia, quæ Rodolpho Diuersa, & Ramo nunc Disparata. Sed Ramus cum diu multúmque hoc genus versasset, & ad Vsum Censorem retulisset; tandem exempla quædam, quæ Dissimilium rationem habere viderentur, dissensionem potius, sed tantum rationis, habere animaduertit. Itaque Dissentaneum, quo etiam aliâs vsus erat, ad vniuersum hoc genus, rursum assumsit, quo illa etiam ratione tantum discrepantia complexus est & Diuersa nominauit, quibus in diuisione Opposita opposuit, quæ ratione & rei natura dissiderẽt; & hæc porro in Disparata & Contraria partitus est.

Quod secundum Præceptum?

Quæ proprietas Diss? *Sunt autem Dissentanea, &c.*] Axioma duplicis proprietatis, tũ de æquali vi & luce dissentaneorum, quam naturâ simul sint; tum de clariore luce in Antithesi.

An non eadem ratio in Consentaneis?

Non; sed illic natura priora erant suis affectis notiora, firmiora, & præstantiora.

Quod tertium præceptum?

Quottuplicia Dissentanea? *Dissentanea sunt Diuersa aut Opposita.*] Dichotomia est in duo proxima genera; quæ ex rerum vsu, & natura, i. dissensione duplici, vna solius rationis, altera rationis pariter & rei constituuntur. Aliâs. n. leuissima & simplicima discrepantia ratione & tractatione in res cadit, quam natura non inest, sed ratione quadam attributionis constituitur, ideoque eædem alia ratione vel simul vel alterutra affirmari

mari negariue potest. Aliâs res ratione & natura pariter opponuntur: quarum semper vna affirmata, altera negatur; & contra, si duæ tantum opponantur. Hoc autem Genus in ordine tertium sic adumbratur:

III. DISSENTANEVN.

DIVERSVM exempla.	OPPOSITVM.	
	DISPARATVM exempla.	CONTRARIVM
		Aff. 1. Relatum.
		Aff. 2. Aduersum.
		Ne. 3. Contradicens.
		Ne. 4. Priuans.

DE DIVERSIS.

Quod de Diuersis præceptum?

Diuersa sunt.] Defi. à genere & forma; quæ est leuissima dissensio ratione aliqua personæ aut rei incidens, non in rerum infesta aut pugnante natura sita. *Quæ Diuersa?*

Quomodo diuersa arguunt?

Diuersa arguunt diuersa tantum distinguendo & illustrando per Enunciata, non concludendo per Syllogismum.

Quomodo vsus explicatur, & præceptum demonstratur?

Inductione exẽplorum: quæ tribus notarum formis distinguuntur: vnde totidem quasi modi vsus & tractationis colliguntur. Sunt autem Notæ illæ symbola & indices, quibus argumenti forma, ratio, & tractatio indicatur. *Notæ.*

Quæ prima notarum forma?

Ea duplex est; Non hoc, sed illud: Quanquam, tamen. *1. Modus.*

Quibus exemplis illustratur?

Tribus enunciatis discretis ex diuersorum altero affirmato, altero negato. Victoria & victoriæ insignia Consentanea adiuncta per se sunt; sed ratione Syllæ & Murenæ, qui de Mythridate non prorsus subacto triumphum egerant, alterum negatur, &c.

Quæ

Quæ secunda?

2. Modus. 2.° Forma potius indicatur & exemplo proponitur, quàm certa lege informatur: in qua vtrũq; videtur affirmari, sed negatio tamen in altero (at tu indignus) inclusa est.

Quæ tertia?

3. Modus. Ea similiter indicatur exemplo, quo vnum (scelus) negatur; cætera quadam concessione affirmantur. Nam si diuersorum distinctione negat Pompeianorum causam sceleratam esse.

CAP. XIII. DE DISPARATIS.

OPposita sunt dissentanea, quæ ratione & re dissentiunt: itaque eidem attribui, secundum idem, & ad idem & eodem tempore non possunt. Sic Socrates albus & ater non potest eadem parte esse: pater & filius eiusdem: sanus & æger eodem tempore. At albus esse potest alia parte, & ater alia: pater huius, filius illius: sanus hodie, cras æger. Itaque ex altero affirmato alterum negatur.

Opposita sunt disparata, aut contraria.

Disparata sunt opposita; quorum vnum multis pariter opponitur, vt viride, cineraceum, rubrũ, media sunt inter album & nigrum, quæ singula extremis, & inter se disparata sunt. Sic liberalitas & auaritia inter se disparantur. Sic homo, arbor, lapis, & eiusmodi res infinitæ disparantur, nec eadem res potest esse homo, arbor, lapis.

Virg. 1. Æneid. hoc argumento disputat.

O quàm te memorem virgo? namque haud tibi vultus
Mortalis: nec vox hominem sonat: O dea certè.

QVÆSTIONES EXPLICAT.

Quod primum de Oppositis præceptum?

Quæ Opposita? *OPposita sunt,*] Desi. à genere & forma; quæ est duplicis dissensionis affectio, nẽpe rationis & naturę pugnãtis.

Quæ nomina & significatio?

Hæc αἱ πρὸς ἄλληλα Aristoteli, latinè ad verbum Oppositæ. Nec Cicero hoc Genus vno symbolo comprehendit, sed separatim Contraria & Repugnantia dixit. Significantur igitur hoc genere logicè quæcunque ratione & reipsa dissentiunt,

entiunt, nec eidem attribui, secundum idem, & ad idem & eodem tempore possunt, siue sint essentiæ & res Physicæ, siue adiuncta & accidentia, siue denique non entia, quæ simul esse nequeunt.

Quod secundum præceptum?

Itaque eidem.] Consectarium Axiomatis communis ex rei dissensione ortum, de Oppositorum vi & affectione propria: quæ tribus notis declaratur: prima vt de eadem eiusdem rei parte: secunda vt eiusdem relatione, respectu, & significatione; tertia vt eodem tempore considerentur & sic vsurpentur. Secus enim non propria affectione vsurparentur, vnde captio existeret; quæ hac regula cauenda est. Nec enim pater & filius simpliciter; sed, esse patrem & filium eiusdem; sunt opposita. Declaratur autem Regula nudis exemplis, quibus inuersis Captio ostenditur. *Quæ Oppositorum proprietas?*

Quod tertium?

Itaque ex vno.] Alterum Axioma ex priori deriuatum de consecutione. Hoc enim ideo hîc ponitur, quia ad affectionem argumenti pertinet, & certum est. Sed non inuertitur in Disparatis, nisi præcisè de duobus propositis, aut de vno aliquo è pluribus affirmando intelligas. *Quæ ratio consequentiæ?*

Quod quartum?

Opposita sunt.] Diuisio rursum in duo genera, quæ tum ex leuiore rerum plurium, tum ex infestiore duarum dissensione oriuntur. *Quotuplicia opposita?*

DE DISPIRATIS.

Quod de Disparatis præceptum?

Disparata sunt.] Defi. à genere & forma, quæ est plurium rerum disparatæ, seu repugnantis & non eiusdem naturæ oppositio.

Quæ appellatio & significatio?

Huius alterius Oppositorum generis differentiam propriam Rodolphus Agricola præcipuè notauit, quo quæcunque pariter multa nulla certa lege nec certo numero inter *Appellatio.*

so

Repugnantia.

se dissident comprehendantur. Cicero ex Aristotele Repugnantia videtur definire, quæ solum cohærere non possunt attamẽ nec Aristoteles nec Cicero ita accuratè propria forma distinguit. Ramus igitur aliâs etiã Repugnantia nominauit; sed postea animaduertit, hoc verbum maioris esse cuiusdam oppositionis, quàm quæ hoc genere distinctè significaretur. Rodolphus Diuersa appellauit & Differentia; sed illa potius rationis tantum dissensionem; hæc totam Dissentaneorum Categoriam videntur complecti; vnde etiam in Scholis illa Differentiæ distinctio, Differentia communis, propria, maxime propria. Et Differentiam Aristoteles opposuit Similitudini pro Dissimilitudine. Ad hanc ambiguitatem euitandam Ramus tandem Disparatorum nomen è Boëtio delegit; cùm Disparari verbum non sit minus latinum, quàm rei accomodatum. Significatio igitur generis & nominis intelligitur, quo vnum multis pariter, non vni magis quàm pluribus opponitur.

Diuersa Differentia.

Quomodo præceptum demonstratur?

Exemplorum Inductione: quæ duobus quasi modis distingui possunt.

Quis prior exemplorum Modus?

Media contrariorum.

Prior est de medijs inter Contraria interiectis; quę quia aliquid de extremis participant, ijs non ita infesta sunt, sed leuius repugnant.

Quæ hîc exempla sunt?

Duo nuda: prius est de coloribus: in quibus Albor & Nigror prima extremáque genera sibi aduersantur; vnde alia intermedia orta & mixta, inter se, extremísque sunt tantum disparata. Alterum est Ethicum: vbi Liberalitas & Illiberalitas extrema genera aduersantur: auaritia & profusio Illiberalitatis species disparantur.

Quis alter modus?

Alter est aliarum rerum, quæ nec eædem esse nec simul affirmari possunt: vnde etiam illustratur remotione consentaneæ vnitatis, vel (vt ita loquar) identitatis.

Quæ hîc exempla?

Vnum nudum rerum Physicarum: alterum Syllogisticum à disparato: Virgo illa, aut homo est, aut Dea. At non homo,

homo, Ergo Dea. Propositio significatur, O quam. ASS. arguitur negatis adiunctis, Nanque. Complexio, O Dea certè.

CAP. XIIII. DE RELATIS.

CONtraria sunt opposita, quorum vnum vni tantum opponitur, sunt q, affirmantia aut negantia.

Affirmantia, quorum vtrunque affirmat, vt relata & aduersa.

Relata sunt contraria affirmantia, quorum alterum constat è mutua alterius affectione: atque inde nominata sunt relata: vt pater qui filium habet, & filius qui patrem habet, & ob hanc mutuam relationis caussam, relata dicuntur simul esse natura, vt qui alterum perfectè norit, norit & reliquum. Pro Marc. Ex quo profectò intelligis, quanta in dato beneficio sit laus, cùm in accepto tanta sit gloria.

Martialis in Sosibianum lib. I.

Tum seruum scis te genitum, blandéque fateris,
Cùm dicis dominum, Sosibiane, patrem.

Sic apud Quinctilianum lib, 5. cap. 10. Si portorium Rhodijs locari honestum est, & Hermacreonti conducere.

Quomodo & in oratore perfecto Tullius: Num igitur est periculum (ait) ne quis putet in magna arte, & gloriosa turpe esse docere alios id, quod ipsi fuerit honestum discere? Studium verò quoddam suum Cicero è relatis illis in oratore prodidit. Iam illa (inquit) matura, vxor generi: nouerca filij, filiæ pellex. Quod idē in ferreæ ætatis descriptione Ouidius apertius affectauit. I. Met.

—Non hospes ab hospite tutus,
Non socer à genero, fratrum quoque gratia rara est.
Imminet exitio vir coniugis, illa mariti:
Lurida terribiles miscent aconita nouercæ:
Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Atqui argumentum talis relationis contrarium nihil habet, imo arguit mutuas caussas: vt sum tuus pater, tu igitur es meus filius: at cum dico, sum tuus pater, non igitur sum tuus filius, tum contraria verè sunt.

QVAESTIONES EXPLICAT.

Quod de Contrarys primum documentum?

Contraria

Quæ contraria?

Contraria sunt oppositæ.] Defi. à genere & forma; quæ est infestissima duorum Oppositio: qua pariter alterum ab altero abhorret, paritérque inter se dispellunt.

Quæ nomina & significatio?

Nomina.

Aristoteles illud generale ἀντικείμενον Oppositum videtur magis huic Contrariorum speciei tribuere, vt & ἀντιθέσεις & ἀντίφασις oppositiones, & Rodolphus Oppositum, Cicero contraria nominat, quod verbum ad hoc genus significandum aptius, quidam etiam ad Aduersorum speciem traducunt. Significantur igitur Contrariorum nomine, quæcunque vnum vni ita opponuntur, vt neque alterum de altero, neque ambo de tertio seu medio dici possint vnum vni contrarium esse Aristoteles per Species docet: si verò vnum opponatur duobus id fit duplici genere oppositionis, vt motus motui & quieti.

Quod secundum præceptum?

Quottuplicia contraria?

Súntque affirmantia.] Diuisio Contrariorum ex adiuncta affectione seu significationis modo. Nam vel duæ res affirmantibus symbolis ita naturâ infestæ opponuntur, vt altera ab altera naturali odio abhorreat: vel vna res symbolo affirmato. i. quod naturam qualitatemúe affirmate significet, opponitur non alij infestæ contrariæúe naturæ aut rei, sed inani symbolo, quod prioris affirmationis negationem priuationemúe tantum significet. Affirmantium igitur duo symbola sunt de duabus rebus; negantium etiam duo, sed de vna re. Illa ab vtraque re, aiente symbolo significata, Affirmantia; hæc à posteriore symbolo, negandi tantum & extinguendi vim habente, Negantia nominata sunt. Neque in hac distinctione Conclusionis ratio (qua quoduis oppositum ex altero affirmato negatur) sed simplex natura & affectio argumentorum spectatur: in qua illa affirmatio negatióue vtrorumque definitione apparet.

Discrimen Affir. & Neg.

Quod tertium?

Quæ Affirmantia?

Affirmantia quorum] Defi. Affir. à forma, quæ est affirmata vtriusque affectio & significatio.

Quod quartum?

Vt Relata, & Aduersa.] Diuisio in duas species distinctas, quæ affirmata communione continentur. *Quotupl. Affirm?*

DE RELATIS.

Quod primum de Relatis præceptum? *Quæ Relata?*

Relata sunt.] Defi. à genere & forma quæ est mutua attributæ affectionis & denominationis efficentia; qua mutuo existunt seseque inuicem tuentur. Est enim notione & vi ipsa tanta inter ea necessitudo & amicitia, vt alterum ab altero sustineatur: alterum alterius respectu sit id quod est, neutrum altero prius, sed vtrunque natura simul. Hîc igitur Categoria Relationis propriam sedem habet. *Categoria Relatio.*

Quæ appellatio & significatio?

Consectarium de nomine definito ex definitione colligitur, *inde nominata esse Relata*; quæ significent id quod definitio explicat. Aristoteli τὰ πρός τι ad aliquid, Ciceroni, Quæ cum aliquo Conferuntur, & Relata nominantur: quæ significant ea, quæ naturali quidem ratione consentaneam notionem habent, mutuáque affectione constant, qua inter se conuertuntur, mutuóque & vicissim definiuntur; situ autem figura, & oppositione ita pugnant, vt nec alterum de altero, nec ambo de tertio dici possint. *Nomina.*

Quomodo declaratur?

Primùm exemplo nudo; vbi affectorum definitione & affirmatio vtriusque & mutua affectio ostenditur. Nam & patris & filij symbolum affirmatè rem affirmatam significat; nec prius pater intelligitur, quam filius; vt nec prius donatio, quam acceptio, non prius locatio quam cõductio. Ergo vt mutua est affectionis efficientia & quasi naturalis necessitudo: ita inde affirmatio vtriusque apparet.

Quod secundum præceptum?

Et ob hanc mutuam.] Axioma ex affectione reciprocante duplicis Proprietatis; quod & naturæ ordine simul & æque nota sint; vnde æqualis vis & reciprocatio in arguendo. *Quæ proprietas relatorum?*

Quomodo deinceps explicantur?

Vsus varius & multiplex exemplis multiplicibus variéque adhibitis exponitur.

Quale est primum?

1. Est enunciatum relatum ex relatis, vbi etiam cõparatio miscetur ex attributione dati & accepti beneficij.

Quod secundum?

2. Est Enthymema è binis relatis ad bina concludẽda: Pater est filij dominus. Ergo filius est seruus patris.

Quod tertium?

3. Est enunciatum connexum ex relatorum, Locare & conducere, attributione.

Quod quartum?

4. Enunciatum relatum ex relatorum attributione; Non est turpe id docere, quod honestum est discere.

Quod quinctum?

5. Enunciatum copulatum ex pluribus relatis, sed peculiari ratione propositum: Mater facta est vxor generi, nouerca filij, filiæque pellex. Sunt autem eiusmodi tractationum formæ, exemplis obseruandæ, quæ præceptis non possunt comprehendi.

Quod sextum?

6. Enunciata plura copulata ex relatorum attributione: vbi etiam singularis quædam forma; & quædam relata vno grammatico Symbolo significantur.

Quod postremum documentum?

An relata semper contraria? Non.

Atqui argumentum talis relationis, &c.] Distinctio duplicis rationis & affectionis Relatorum, nempe Consentaneæ & Dissentaneæ: quæ tum ex naturali affectionis Notione, tum ex Figura & oppositione oritur.

Quomodo igitur consentiente affectione vsurpantur?

Cum notione & vi mutuæ affectionis reciprocantur, alterúmque ex altero affirmatè concluditur: vt, Æneas est Ascanij pater. Ergo Ascanius Æneæ filius.

Quomodo dissentanea affectione vsurpantur?

Cum situ, figura & oppositione eiusdem ex generali axiomate oppositorum spectantur; quod ita eadem ratione eidem conuenire, & in eo sita esse nequeant: vt, Æneas est

Ascanij

Ascanij pater. Non igitur idem ipse est Ascanij filius.

CAP. XV. DE ADVERSIS.

ADuersa sunt contraria affirmantia, quæ inter se velut è regione perpetuò aduersantur. Aeneid. 11.

Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.

Sic albor & nigror, calidum & frigidum, virtus & vitium opponuntur.

Parad. 1. contra Epicureos. Illud tamen arctè tenent, accuratéque defendunt, voluptatem esse summum bonum: quæ quidem mihi vox pecudum videtur, non hominum. Tu cùm tibi siue deus, siue mater, vt ita dicam, rerum omnium natura dederit animum, quo nihil est præstantius, neque diuinius, sic te ipse abijcies ac prosternes, vt nihil inter te atque quadrupedem interesse putes? Pecudem & hominem aduersa Cicero opposuit: Voluptas, pecudis bonum est, non igitur hominis. Sic libertas & seruitus apud Tibullum 2. lib.

Sic mihi seruitium video dominámque paratam,
Tu mihi libertas illa paterna vale.

Pro Marc. Nunquam enim temeritas cum sapientia commiscetur, nec ad consilium casus admittitur.

QVAEST. EXPLICAT.

Quod præceptum de aduersis?

ADuersa sunt Contraria, &c.] Defin. à genere & forma, quæ est perpetuò infesta &, directè pugnans natura. Naturæ enim duæ hîc ita infestæ inter se sunt, vt pariter altera ab altera naturali odio abhorreat. Atque ideo horum media sunt disparata, quod & plura sint, & quasi oblíque permistéque opponuntur. *Quæ Aduersa?*

Quæ nomina & significatio? *Nomina.*

Aristoteli ἐναντία vulgò Contraria, sed quia hoc generi magis conuenit, Ciceroni aduersa nominantur, quæ duo affirmantia è regione perpetuò infesto odio opponuntur.

Cedo exemplorum explicationem.

1. Exemplum est Enthymema ex aduerso. 2. Exempla tria nuda. 3. Syllogismus ex aduerso: Bestiæ bonum nõ est hominis bonum. At voluptas est bestiæ bonũ. Ergo nõ

hominis. 4. Exemplum nudum, & porro Enthymemate ex aduerſo declaratum: Seruitus mihi imminet: Ergo libertatem amittam. 5. Enunciatum copulatum ex aduerſis, temeritate & ſapientia, conſilio & caſu.

CAP. XVI. DE CONTRADICENTIBUS.

CONtraria negantia ſunt, quorum alterum ait, alterum negat idem: eaq; ſunt contradicentia, aut priuantia. Contradicentia ſunt contraria negantia, quorum alterum negat vbique: vt iuſtus non iuſtus, animal non animal, eſt, non eſt, ſunt contradicentia.

Sic in defenſione Murenæ contradicitur ſententijs Catonis & Ciceronis illius Stoici, huius Academici. Dialogus eſt his verbis, Nihil ignoueris: imo aliquid, nõ omnia. Nihil gratiæ cauſſa feceris: imò ne reſiſtito gratiæ, cùm officium & fides poſtulabit. Miſericordia commotus ne ſis: etiam in diſſoluenda ſeueritate, ſed tamen eſt aliqua laus humanitatis. In ſententia permaneto: enimuero niſi ſententia alia vicerit melior? Martialis lib. 1.

Bella es, nouimus: & puella, verum eſt:
Et diues, quis enim poteſt negare?
Sed dum te nimium, Fabulla, laudas,
Nec diues, neque bella, nec puella es.

Cicero 1. Tuſc. cogit hoc argumento Atticum Epicureum fateri, mortuos miſeros non eſſe, ſi omnino nulli ſint, vt Epicurei credebant. Iam mallem (ait) Cerberum metueres, quam iſta tam inconſideratè diceres. Atticus. Quid tãdem? Marcus. Quem eſſe negas, eundem eſſe dicis: vbi eſt acumen tuum? cùm enim miſerum eſſe dicis, tum qui non ſit, eſſe dicis. Tum poſt longam diſputationem Atticus ait, Age, iam concedo non eſſe miſeros, qui mortui ſunt, quoniam extorſiſti, vt faterer, qui omnino nõ eſſent, eos ne miſeros quidem eſſe.

Sic Terentianus Phædria Dori Eunuchi dictum eleuat, quod affirmaſſet prius, quæ poſt inficiaretur.

Modò, ait, modò negat.

QVAEST. EXPLICAT.

Quod primum præceptũ de Contrarijs negantibus?

Contraria

Contraria negantia, &c.] Definitio à forma duplici; quæ est affirmationis & negationis affectio de eodē. Hinc enim negantia nominata sunt, quòd rei affirmationi eiusdem negatio opponatur. *Qua Negantia?*

Quod Secundum?

Eaque sunt, &c.] Diuisio in duas species distinctas & separatas, quæ negata communione continentur. *Quotuplicia.*

Quod Contradicentium præceptum proprium?

Contradicentia sunt, &c.] Definitio à genere & forma communi; quæ est negatio cuiusuis affirmati sine ratione certi aut natiui subiecti, rei vel sententiæ. Negatio autem hîc expressa est: vnde Aientia & Negantia, vel affirmatio & negatio duobus vocabulis appellantur. *Quæ contradicentia?*

Quæ nomina & significatio?

Hæc in Categorijs κατάφατικα & ἀποφάτικα, à Cicerone in Topicis Aientia & Negantia; & sic κατάφασις & ἀπόφασις affirmatio & negatio; sæpe etiam ab altera parte ἀποφάτικα negantia nominantur, Ἀπόφασις Contradictio à parte negante, quam sæpe etiam nominatim significat, huic generi propriè conuenit, quo significentur ea, quorum alterum ait, alterum negat vbique.

Quo discrimine contradictio in Inuentione & Iudicio consideratur?

Contradictio in Inuentione generatim siue in verbum, siue in sententiam cadat, ideo quod affirmatio arguat Negationem consideratur: quatenus autem certis legibus in sententia formatur & iudicium facit: in Enunciata vt eorum propria affectio cadit: vbi ideo etiam eius genera explicantur, quę iudicij propria sunt, nec quicquam ad Inuentionis vsum attinent. *Contradictio in Inuent. & Iudicio.*

Quod hic primum exempli genus?

1. Exempla tria nuda in simplicibus verbis proponūtur.

Quod Secundum?

2. Exemplum est enunciatorum ex parte generalibus contradicentium; vnde contradictio specialis à deteriore

parte nominatur. Lambinus & Iohannes Michael Brutus hîc legunt, Sed tamen est etiam in dissoluenda seueritate laus aliqua humanitatis.

Quod tertium?

3 Est Enunciatorum propriorum; quibus iocus in mulierem, sibi forma, ætate, & diuitijs nimium placentem, disseritur. Negatio igitur est ex hypothesi & conditione iactationis.

Quod quartum?

4 Est Syllogismus ad refutandum Attici consectariũ: Mortui non sunt. Ergo miseri sunt. in quo Cicero Contradictionem ostendit, & sic contrà colligit: Qui omnino non sunt; ij nec miseri sunt, At mortui non sunt. Ergo nec miseri. Ass. prima est: Propos. & Comp. sequuntur.

Quod quinctum?

5 Est Enunciatum de vano homine idem aiente & negante.

CAP. XVII. DE PRIVANTIB.

PRivantia sunt contraria negantia, quorum alterum negat in eo tantum subiecto, in quo affirmatum suapte natura inest. Atque hic affirmatum dicitur habitus, negatum autem priuatio. Sic motus & quies. Sic ebrius & sobrius. Martial. lib. 3.

Ebrius es: nec enim faceres hæc sobrius vnquam.

Sic cæcum esse & videre. Pro Cælio. Existat igitur ex hoc familia aliquis, ac potissimum cæcus ille, minimum enim dolorem capiet, qui istam non videbit. Sic pauper & diues opponuntur apud Martialem. lib. 5.

Semper eris pauper, si pauper es, Æmiliane.
Dantur opes nullis nunc, nisi diuitibus.

Talia sunt mors & vita in Miloniana, Huius mortis sedeis vitores, cuius vitam si putetis per vos restitui posse, nolitis? Item tacere & loqui.

1. *Catil. Quid expectas auctoritatem loquentium, quorum voluntatem tacitorum perspicis? Pro Marc. Doleo cùm resp. immortalis esse debeat, eam in vnius mortalis anima consistere. Sed dissentaneorum categoria sic est, vnde quiduis ab altero differre quolibet modo possit.*

QVAESTIONES EXPLICAT.

Cedo priuantium primum præceptum?

Priuantia sunt contraria.] Defi. à genere & forma specia- *Quæ priuantia?*
li, quæ est negatio habitus naturaliter insiti vel affirmati. Hæc enim ita inter se affecta sunt, vt vnum tantum alterius, quod per naturam inesse queat, pellendi vim habeat Habitus enim vim cedendi; priuatio tollendi & extinguendi habet.

Cedo secundum, & sic nomina?

Atque hic affirmatum.] Secundum est de distinctis vtriusque affecti nominibus: quibus sic forma illustratur. Aristoteli nominantur στερητικὰ priuantia à στέρησις priuatione, parte altera oppositionis; cui opponitur ἕξις habitus, quo bene aut male afficitur affectum. Habitus enim hîc naturalis dicitur, non quem natura sola adfert; sed ad quem suscipiendum idonea est: vnde habitus naturalis vel aduentitius, nempe facultas vel etiam imbecillitas quædã significatur. *Nomina.*

Quid interest inter Priuationem & Negationem?

Priuatio est specialis & implicita negatio sui habitus; quem quidem fatetur, arguit, indicat, & subiecto detrahit. Negatio autem Contradicentium habitum vbiq; inficiatur, non adimit.

Quale primum genus exemplorum?

1 Sunt exempla duo nuda: sed alterius vsus Enthymemate ex priuante declaratur; Cerdo sobrius ludos non faceret. Ergo ebrius est dum facit.

Quale secundum?

2 Nudum, & deinde Enthymemate ad vsum traductũ argumento à priuationis adiuncto; Cæcus Appius non videns impudicam Clodiam minimum dolorem capiet. Ergo ille existat ad eam obiurgandam.

Quale tertium?

3 Etiam nudũ, deinde Enthymemate est adiuncto habitus, quod non conueniat priuationi, declaratum: Soli diuites ditescunt. Ergo pauper Æmilianus pauper manebit.

Quartum quale est?

4 Etiam nudè proponitur, sed vsus Enthymemate ex contrarijs adiunctis habitus & priuationis illustratur: Vitam Clodij nolletis restituere. Ergo nec mortem debetis vlcisci.

Da Quintum?

5 Nudum quoque est cum Enthy. ex priuantis adiuncto: Voluntatem tacitorum vides. Ergo auctoritatem loquentium non exspectabis.

Cedo sextum?

6 Est Enuntiatum Relatum, quod vim connexionis habet: Si Respub. est immortalis: dolendum eam in vnius mortalis anima consistere.

Quid postremo docetur?

Vsus Dissentaneorum.

Sed dissentaneorum.] Concluditur Dissentaneorum Categoria effecto & arguendi fructu, nempe distinctionum & differentiarum inuentione. Nam vt Consentaneis generibus omnes modi primique fontes vnitatis & identitatis, ita dissentaneis modi diuersitatis & differentiarũ continẽtur. Est itaque differentia alia leuior ex Diuersis: alia vehementior ex Oppositis; & hîc rursus minor è Disparatis, maior ex Contrarijs, & quidem ex negantibus; quod negatio magis videatur affirmationi opposita, quam contrarij affirmatio. Atque ita hac generali Logica tertium illud Dialectici Instrumentũ continetur, de quo Aristoteles 1. Top. cap. 11. & 14. vide 2 partem.

CAP. XVIII. DE PARIBVS.

Instrumentum 2. par.

ARgumenta simplicia ita fuerunt in consentaneis & dissentaneis.

Comparata sunt, quæ inter se comparantur, quæ tametsi ipsa comparationis natura æque nota sint, attamen alterum altero alicui notius & illustrius esse potest. Sæpeq; notis breuius indicantur, aliquando partibus plenius distinguuntur, quæ propositio, redditioq; nominantur.

Atque omnino comparata etiam ficta arguunt, fidémque faciunt.

Compa-

Comparatio eſt in quantitate vel qualitate.

Quantitas, quæres comparatæ quamæ dicuntur. Eſtq́; parium vel imparium.

Paria ſunt, quorum eſt vna quantitas. Argumentum igitur paris eſt, cum par explicatur à pari, eiuſq́; nota ſunt, par, æquale, æquare, idem quod, tam quam, tantò quantò, tot quot, & non magis, non minus. Virg. AEneid 2.

---Par leuibus ventis.

Æneid. Et nunc æquali tecum pubeſceret æuo.

Æneid. 6. En huius nate auſpicijs, illa inclita Roma.

Imperium terris, animos æquabit olympo.

Propoſitio deinde redditioq́; diſtinguuntur. 4. Cat. Cuius res Geſtæ atque virtutes iſdem, quibus ſolis curſus regionibus ac terminis continentur. AEneid 4.

Tam ficti prauíque tenax quàm nuntia veri.

Catull. Tantò peſsimus omnium poëta.

Quantò tu optimus omnium patronus.

Ouid. 4. Triſt.

Littora quot conchas, quot amœna roſaria flores,
Quótque ſoporiferum grana papauer habet.
Sylua feras quot alit, quot piſcibus vnda natatur,
Quot tenerum pennis aëra pulſat auis:
Tot premor aduerſis: quæ ſi comprendere coner,
Icariæ numerum dicere coner aquæ.

9. Philip. Neque enim ille magis iuris conſultus, quàm iuſtitiæ fuit: Itaque quæ proficiſcebantur à legibus & à iure ciuili, ſemper ad facilitatem æquitatemq́; referebat: neq́; conſtituere litium actiones mallebat, quàm controuerſias tollere. Oui. 2. de Ar.

Non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri.

Pro Mur. Paria cognoſco eſſe iſta in L. Murena, atque ita paria, vt neque ipſe dignitate vinci potuerit, neque te dignitate ſuperarit. 2. Philip, Quorum facinus commune, cur non eorum præda communis? Terent. in Adel.

Quando ego non curo tuum, ne cura meum.

Huius verò loci ſunt conſectaria illa è contrarijs quidem orta, ſed parium collatione tractata: vt Martialis illud:

Tum ſeruum ſcis te genitum, blandéque fateris,
Cùm dicis dominum, Soſibiane, patrem.

Ouid.

Ouid. 1. Fast.

In pretio pretium nunc est, dat census honores.
Census amicitias, pauper vbique iacet.

Ex aduersis sunt frequentiora. Cic. pro Sylla. Neque verò quid mihi irascare, intelligere possum, si quòd cum defendo, quem tu accusas, cur tibi quoque ipse non succēseo, qui accuses eum, quem ego defendo? Inimicum inquis, accuso meum: & amicum (inquā) ego defendo meū. Sic 5. Tusc. Quod cùm fateantur satis magnam vim esse in uitijs ad miseram vitam, nónne fatendum est eandem vim in virtute esse ad beatam vitam? Contraria enim contrariorum sunt consequentia. Sic interdum lacessiti par pari reponimus qualis est Egl. 3. Apud Virg. contentio pastorum Damœtæ, primo hoc ænigma proponentis.

Dic quibus in terris & eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat cæli spatium non amplius vlnas.
Dic quibus in terris inscripti nomina Regum,
Nascantur flores, & Phillida solus habeto.

Paria verò ficta sunt illa apud AEschinem Socraticū, quibus demonstrat Socrates cū Xenophontis vxore, & cum Xenophonte ipso Aspasiā locutam. Dic mihi quæso Xenophōtis vxor, si vicina tua melius habeat aurum, quàm tu habes, vtrum illius an tuum malis? Illius, inquit. Et si vestem, & cæterum ornamentum muliebre pretij maioris habeat, quam tu habes, tuámne an illius malis? Illius verò respondit: Age verò, si virum illa meliorem habeat, quàm tu habes, an illius malis? Hinc mulier erubuit. Aspasia autem cum ipso Xenophonte sermonem instituit: Quæso, inquit, si vicinus tuus meliorem equum habeat quàm tuus est, tuúmne equum malis an illius? Illius, inquit, Quod si meliorem fundum habeat, quam tu habes, vtrum tandem illius malis? Illius, inquit, meliorem scilicet. Quod si vxorem meliorem habeat, quàm tu habes, vtrum illius malis? Atq, hic Xenophon quoque ipse tacuit.

QVAEST. EXPLICAT.

Quomodo Methodus deinceps connectitur?

TRansitione perfecta Argumenta prima simplicia clauduntur, & prima Comparata proponuntur.

Num Comparata sunt etiam argumenta prima?

Sunt quidem omnino prima, sui iuris, propriæ originis

&

& affectionis: quorum nec vis & origo, nec respectus & explicatio ab vllo superiore pendet, aut vllius imitatione aut compositione constat. Quia superiorum vis & affectio in simplici naturarum vel rerum adiunctarum consensione, aut dissensione consistit: Comparatorum autem affectio noua, & à superiore prorsus distincta est, vt quæ in quantitatis & qualitatis comparatione posita sit. *Comparata argumenta prima.*

At verò plerunque sunt Comparatæ caussæ & effecta & ita cætera prima argumenta.

Sic duplex consideratio prima concurrit, & à differente in easdem res diuerso respectu, tum naturarum inter ipsas, tum earundem quantitatis aut qualitatis adhibetur. Nec hoc quicquam ad comparatorum vim & affectionem facit, quod is qui dissert, ea quæ velit comparare, prius simplici naturarum consensione vel dissensione spectauerit, deinde noua videlicet quantitatis & qualitatis affectione comparet: cùm maneat vtriq; argumenti generi sua propria, eáque noua & prima affectio Consentaneo in consensione, Dissentaneo in dissensione, Comparato in comparatione sita. Argumentorum enim genera sua doctrina certaque lege distincta sunt: sed exemplorum affectio, diuersa ratione, consideratione & tractatione mutatur: qua illa in alia atque alia genera accommodantur.

Quod primum de Comparatis præceptum?

Quæ Comparata?

Comparata sunt quæ inter se comparantur.] Def. à genere intellecto (quod est Argumentum primum) & forma notatione expressa; quæ est ratio & affectio comparata.

Quæ hic arguendi ratio:

Ratio Arguendi.

Comparata arguunt comparata; & sic per species, Paria paria; Imparium Maius minus, & contra; Similia similia, Dissimilia dissimilia. Sic enim, vt Dissentanea, etiam hic affecta vno nomine & loco continentur; nisi quod Impar in duos affectos locos, Maius & minus separetur.

Quæ appellatio & significatio?

Nomina.

Comparata Aristoteli σύμβλητα, Comparatio ipsa σύγκρισις

ors dicitur. Cicero, & alij quidam, in Artis doctrina Comparationis nomine tantum Paria & Imparia intelligunt, Similia & Dissimilia separatim nominant: cùm tamen affectio vtriusque generis siue Paris in quantitate, siue Similis in qualitate in Comparatione consistat; & Cicero ipse aliâs dicat, Comparare paria, maiora, minora, similitudines; itémque simpliciter & comparatè quærere. Sic enim vsu quidam quam arte sunt meliores. Hoc igitur genere significantur, quæcunque inter se quantitatis vel qualitatis ratione comparantur, siue res sint corporeæ vel incorporeæ; siue veræ aut fictæ, quæ hîc etiam verorum vim obtinent, vt infrà dicetur.

Significatio.

Quomodo hic singula argumenta translatè nominantur?

Quia in distinctis rebus distinctæ quantitates vel qualitates comparatè spectantur: rationes hîc commodiore translatione Termini nominantur: qui ita, si explicentur, quatuor existunt, duo rerum ipsarum, & duo comparatarũ quantitatum vel qualitatum. Atque inde etiam vtrunque affectum argumentum hîc integrum Enunciatum esse potest.

Quod secundum Comparatorum documentum?

Quæ proprietas Comparatorum?

Quæ tametsi.] Axioma triplex de triplici Comparatorũ proprietate & quasi priuilegio.

1. Prop.

1. *Quod primum proprietatis priuilegium?*

Quæ tametsi.] 1. Est de æquali notitia non ex rerũ natura, sed è Comparationis ratione; quod illustratur diuerso de luce alicui clariore, præsertim similium & dissimilium, quę non tam ex toto, quam ex parte dici videntur, vt aliqua ex parte aliquid sit simile, aliqua dissimile.

2. Prop.

2. *Quódnam secundum.*

Sæpeq́, propriùs.] 2. Est de duplici forma Comparatorum, qua tractantur & noscuntur.

Quæ prior?

Prior est Contracta & breuis, certis notis insignita; quæ ideò

ideò Inuoluta & Implicita Comparatio dicatur; in qua res erúmque comparatæ affectiones non ſunt quatuor terminis diſtinctæ.

Quæ altera?

Altera eſt explicata, & partibus vtrinque euoluta: quarum prior πρότασις. i. Propoſitio, prius affectum argumentum, & quidem id quod arguit; altera ἀπόδοσις Redditio alterum, quod arguitur, continet. Atque hîc quatuor termini diſtinguuntur: vnde fit, vt alterum affectum non ſit nuda vox ſeu terminus vnicus, ſed integra ſententia, quæ ſic aliam arguat.

Quod tertium? 3. Prop.

Atque omninò.] 3. Eſt de vi & efficacia arguendi in Comparatis fictis, quæ vi comparationis, non rerum ipſarum, vt vera arguunt. Si verò aliquid fingatur ſine Comparatione, id non veritatis, ſed mendacij argumentum faciet, vt ficta Comparata veritatem, cætera argumenta ficta etiam res fictas, quæ non ſint, arguant.

Quod tertium Comp. documentum? *Quotuplex comparatio.*

Comparatio eſt in.] Dichotomia Comparationis in duo genera è ſubiectis affectionibus in quibus conſiſtit, quæ ſunt rerum Quantitas & Qualitas: ideóque duæ Categoriæ illæ comparatè ſpectatę hîc ſedem habent: quanquam & ſimpliciter earum definitiones hîc intelliguntur.

Quod quartum?

Quantitas qua res.] Definitio quantitatis à forma, quæ eſt quantum logicum. i. omnino generale & commune, quod & in naturas, & qualitates attributionéſque cadit: cùm quidlibet dicitur Quantum, ſimpliciter per ſe, & Cõparatè ratione paris vel imparis. *Quid Quantitas.*

An non Mathematica Quantitas in magnitudinibus ſeu menſuris & numeris hîc ſpectatur?

Quidni? ſed Logica non illam tantum, verumetiam vires, facultates, bonitatem, vitioſitatem, eruditionem, ignorantiam, locum, tempus, & ſic omnia vera, vel ficta, quá-

ta. i. tanta vel non tanta vocat. Nihil enim interest, Quantitas siue pondere, numero & mensura; siue mente & ratione appensa, numerata & dimensa sit. Logica enim doctrina & consideratio hic semper vniusmodi, omnibúsque rationibus communiis fuerit: at Geometra deinceps hac generali logica adiutus nominatim suas magnitudines metitur; Arithmeticus suos numeros numerat; & sic generalis logicæ fructus ad illas species accommodatur.

Quot quadruplex quantitas?

Quod quintum.

Est q; Parium vel Imparium.] Dichotomia Quantitati comparatæ in genera Contraria, non affecta. Aristoteli ἴσον καὶ ἀνισον Aequalitas & Inæqualitas eadem logica significatione dicitur. Hoc itaque genus ita comprehenditur

4. Gen. in ordine omnium.

IIII. COMPARATIO est in

Quantitate vnde		Qualitate, vnde	
PARIA exempla.	IMPARIA Maius--Min. exempla.	SIMILIA exempla.	DISSIMILIS exempla.

DE PARIBVS.

Quod de paribus primum documentum?

Quæ paria.

Paria sunt quorum] Defin. à forma, quæ est quantitatis æqualitas; cùm quantum hoc, tantum illud dicitur. Parium enim Comparatio nec elationem habet, nec submissionem.

Quod secundum?

Quæ arguendi ratio?

Argumentum igitur.] Axioma de vsu: quia paria arguuntur paria.

Quomodo vsus declaratur?

Exempla per omnes species Comparatorum ad superius illud triplicis proprietatis Axioma ordine accommodantur. Nam primæ vsus est in omnibus exemplis, secundæ duplex

lex modus Contractus & Explicatus distinguitur; tertiæ enique exempla postremo loco collocantur.

1. *Quæ igitur Parium vis ex priore proprietate?*

Paria comparationis vi æquè nota sunt.

2. *Quotuplex forma & tractatio parium ex secunda?*

Duplex: vna breuis & cõtracta; altera longa & explicata.

3. *Quotuplicia sunt ex tertia?*

Duplicia, Vera vel Ficta. Quæ ita etiam de cæteris intelligantur.

1. DE VERIS. *Quis hic prior Modus?* *Contracta.*

Prior modus est inuolutæ & contractæ formæ in Enunciatis; sed initio certæ Notæ partim simplices huius Contractæ formæ; partim relatæ sequentis explicatæ indices & quasi magistræ proponuntnr.

Quæ notæ simplices prioris formæ?

Quæ vna voce continentur, comparationem tamen significantes, vt Par, Aequale, Aequare.

Cedo exemplorum rationem.

Exempla hic sunt tria enunciata simplicibus notis quasi informata. 1. Est de pari velocitate vmbræ Creusæ & ventorum. 2. De pari ætate Astianactis & Ascanij. 3. De paribus adiunctis orbis terrarum & Romani imperij. Atque hæc pariter efficiunt sententiam: attamen alterum arguendi causſa adhibetur, vt, Venti, ætas Ascanij, & orbis terrarum amplitudo.

Quis alter modus?

Propositio deinceps, Redditioq; distinguuntur. *Alter modus* *Explicata.*

explicatæ formæ hic nominatim distinguitur.

Quæ hic notæ relatæ?

Quæ duabus relatis vocibus constant, vt sic ad distinctas partes accommodentur, vt, Idem, quod: tam, quàm; Tanto, quanto, Tot, quot; Et negationes imparium, Non magis, quàm: Non minus quàm.

Cedo exemplorum rationem?

1. Est Enunciatum relatum de pari magnitudine cursus solis (hæc n. arguit) & rerum gestarum Pompeij.

2. Est Enunciatum Relatum ex paribus famæ adiunctis, quæ mutuò arguunt.

3. Est

3. Est Enunciat. de Catulli abiecta poetica: quod pri alio, nempe Ciceronis præstanti eloquentia explicatur & arguitur. Redditio autem prior est; & in rebus dissentane- is par illa ratio, contentionis videlicet comparatione spe- ctatur.

4. Est etiam enunciatum seu sententia simplex de ad iuncta multitudine calamitatum Ouidij: quæ sex paribu rerum multitudine copiosarum per tot etiam Enunciat explicatur. Protasis præcedit. Redditio etiam noua parii eáque hyperbolica collatione declaratur.

5. Est Enun. Rel. ex paribus Sulpicij adiunctis, paribu etiam effectis declaratum: vbi nota, negatio maioris.

6. Est Enun. Rel. ex paribus virtutibus caussæ procre antis & conseruantis possessionum: vbi nota, negatio mi noris.

7. Est Enunciat. Copulatum ex pari Murenæ & Sul picij adiuncta dignitate; vbi notæ, Paria, itémque Nega tio maioris, et minoris. Hactenus vtriusque modi cum no tis tractatio.

Qualis deinceps tractatio?

Sine Notis. Communis illa SINE NOTIS, et sæpius SYLLOGI STICA: quam aliâs etiam P. Ramus axiomatis Aristote licis illustrauerat; sed ea tandem, quòd essent tantum fru ctus generalium definitionum et præceptorum, nec quic quam ad inueniendum aut iudicandum facerent, præter- misisse videtur: quod infrà de cæteris quæ vsum etiam in Mathematicis habent frequentiorem, similiter intelligen dum est. Eiusdem enim artis est vel Exemplum alicuius Loci et generis argùmenti, pro argumento quærere, ve Definitionem eiusdem Loci, aut eius fructum et conse quens inde deriuatum pro argumento ad aliquod Enunci atum, partémue Syllogismi declarandam et demonstran dam adhibere. Itaque argumenta ad propositum arguen dum vel Quæstionem probãdam primùm inuenienda; de inde ex iudicij regulis collocanda; et nihil errabitur. Si quis requirat argumenti declarationem vel demonstratio nem, huc eius definitio vel axioma generale in arte posi tum, aut eius fructus aliquis et consequens accommoda bitur

bitur; vide 2. partem.

Quibus exemplis hanc sine notis rationem declarat?

Duabus relatis Propositionibus syllogisticis, vnde assumatur & concludatur hoc modo; At facinus Cęsaris & Antonij fuit commune. Ergo & præda communis. Demea nõ curat Mitionis filium. Ergo nec hic illius curabit. Sic igitur breues sunt enthymematum sententiæ.

Quid deinceps sequitur?

Annotatio de singulari exemplorum genere, nempe Paris rationis in rebus naturâ contrarijs. *Par ratio in Contrarijs.*

Explicato exempla.

1. Est Enthymema ex relatorum pari attributione: Pater est filij dominus. Ergo filius (pari ratione) est patris seruus.

2. Enthy. ex habitus attributione, vnde priuationis cõtraria attributio pariter efficitur: Diues honoratur. Ergo pauper (eadem ratione) despicitur.

3. Enthym è disparatorum contrarijs effectis & subiectis: Torquatus accusat inimicum suum. Ergo sic Cicero rectè defendit amicum. Item, In vitijs est satis magna vis ad miseram vitam. Ergo contra in virtutibus ad beatam. Propositiones connexæ additæ vim Iudicij necessarij continerent: quam si aliquis non assequeretur, par illa ratio ex definitionibus argumentorum demonstranda esset.

Quid porrò sequitur?

Claudit hunc vsum axiomate proprio, quod pari ratione contrarijs contraria tribuantur, indeque contraria efficiantur. Sed hic videndum ne affectio aliqua vtrique contrario communis alteri tribuatur; contrariáque de altero negetur, vt Homo est mortalis. Ergo bestia est immortalis. Candor est color. Ergo nigror non est color. Illic adiunctum, hic genus vtrique commune est, vide 2. partem de captionibus. *Cautio.*

Quæ sequentis exempli ratio?

Peculiaris etiam vsus parium hic indicatur & exemplo declaratur: vnde quasi Modus quidam Parium mente concipiatur, qui non tam in disputando, quàm in *Repungendo*

Regestio. *& regerendo* sit positus. Nam cùm Quæstioni respondere non possumus, parem difficultatem reponimus & regerimus, qua aduersarius æquè implicetur.

Quæ exemplorum ratio?

Primum est Aenigma Damoetæ pastoris enunciato collocatum, & adiuncto præmio exornatum.

Alterum par & æquè difficile ænigma est simili dispositione & exornatione.

II. DE FICTIS. *Quale postremum exemplum?*

Ficta. Tertij priuilegij fictum est, duobus Enthymematis paribus fictis iudicatum. 1. Vxor expeteret melius aurum & vestem vicinæ. Ergo etiam meliorem virum. 2. Maritus malit meliorem equum & fundum vicini. Ergo etiam meliorem vxorem. Propositio addita vim iudicij contingentis haberet. Exempla de multiplici & conduplicato parium vsu, quæ in penult. edit. hîc collocata erant, nunc breuitatis caussa, & quod eandem vim cum superioribus habeant, præterita sunt, vide 3. partem.

CAP. XIX. DE MAIORIBVS.

IMparia sunt, quorum quantitas non est vna.

Impar est maius aut minus. Maius est, cuius quantitas excedit. Propriæ notæ sunt huius rationis: Non solum, sed etiam, Malo hoc quàm illud, Plusquam, item per comparationem Grammaticam, Cice. pro Murena:

Tollitur è medio ---

non solùm ista verbosa simulatio prudentiæ, sed etiam illa domina rerum

----sapientia: vi geritur res:

Spernitur orator---

non solum odiosus in dicendo, aut loquax, verum etiam

--bonus, horridus miles amatur.

Hinc sumitur Logica quædam gradatio climaci rhetorico interdum coniuncta. Pro Milone. Neque verò se populo solùm, sed etiam senatui tradidit: neque senatui modò, sed etiam publicis præsidijs & armis, neque his tantum, verum etiam eius potestati,

ri, cui Senatus totam Rempub. omnem Italiæ pubem, cuncta populi Romani arma commiserat. Iuuenalis Satyra 8. aduersus gloriosum nobilem.

Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Aeacidæ similis, Vulcaniáque arma capessas,
Quàm te Thersitæ similem producat Achilles.

Pro Marc. Plus admirationis habitura quàm gloriæ. Aeneid. 1.

O socij (neque enim ignari sumus ante malorum)
O passi graviora: dabit Deus his quoque finem.

Cicero pro Mure. Noli tam esse iniustus, vt cum tui fontes vel inimicis tuis pateant, nostros riuulos etiam amicis putes clausos esse oportere.

Hinc illa gradatio est sine climace Rhetorico apud Terentium.

Thr. Magnas verò agere gratias Thais mihi?
Gn. Ingentes: Thr. Ain tu? Læta est? Gn. Non tam ipso quidem dono, quàm abs te datum esse, id verò seriò Triumphat.

Ficta verò maiora etiam plurimum valent.

Terent. Heaut. Satrapes si siet
Amator nunquam sufferre eius sumptus queat:
Ne dum tu possis. 5. Aeneid.
Magnanime Aenea, non si mihi Iuppiter auctor
Spondeat, hoc sperem Italiam contingere cœlo:
Mutati transuersa fremunt, & vespere ab atro
Consurgunt venti, atque in nubem cogitur aër:
Nec nos obniti contra, nec tendere tantum
Sufficimus.

QVAEST. EXPLICAT.

Quæ præcepta Imparibus communia?

EA duo sunt: 1. *Imparia sunt quorum quantitas non est vna.*] Definit. à forma; quæ est quantitatis inæqualitas; cùm quantum hoc, non tantùm illud, Intellige etiam logicè siue sensibus percipiantur, siue ad animum & ratio-

nem translata sint, quæcunque elationem & submissionem habeant, Imparia dici.

Quod secundum?

Quottuplicia Imparia?

Impar est Maius aut Minus.] Diuisio in duas species affectione relatas, quæ ex elatione & submissione oriuntur.

Quod præceptum MAIORIS?

Quid Maius?

Maius est cuius quantitas excedit.] Def. à forma, quæ est elatio quantitatis, qua minor exceditur.

Quomodo arguit?

Maius arguit Minus, & vicissim ab eo arguitur, vt suprà dictum.

Quomodo vsus declaratur?

Exemplis similiter ad communia Comparatorum Axiomata ordine accommodatis: sed contractæ & explicatæ formæ hic permiscentur, quod hæ frequentiores sint.

I. DE VERIS. *Quis hic prior Modus?*

Vera.

1. Modus.

Prior Modus est cum notis relatis & comparatis, qui sæpius est Enunciatorum in simplici Expositione.

Quæ Notæ Maiorum?

Notæ.

Propriæ notæ huius rationis sunt, Non solùm, sed etiam: Malo hoc, quàm illud: Plus, quàm: & Comparatio Grammatica.

Cedo rationem primi exempli?

1. Exemplum simplicis expositionis est per enunciata: quia Enunciatum ex dissentaneis causis rerum gerendarum (Non sapientia, sed vi res geritur) comparatione maioris ad minus illustratur; vbi (Non solum) Minus (sed etiam) Maius indicat; q. d. Ipsa domina rerum sapientia tollitur, nedum simulatio prudentiæ. Sic (Orator spernitur, miles amatur) & ille quidem optimus, nedum loquax. Nã ita res augetur. Consectarium syllogisticum esse queat: ipsa sapientia spernitur. Ergo etiam simulatio; sed ita non adhibetur.

Cedo secundi?

2. Admonitio est de singulari exemplorum genere per gradationem augendi. Atque hic rerum comparationes argumenta, verborum soni gradatim repetiti ornamẽ-

ta faciunt. Sunt igitur hic Enunciata copulata, quibus maiora gradatim minoribus arguendis & augendis subijciuntur. Nudè, Milo se populo imò senatui, publicis præsidiis & Pompeio Imperatori tradidit.

Cedo tertij.

3. Exemplum Enunciatum relatum ex procreantium impari ratione: Malo te filium nobilem ex patre ignobili, quàm ignobilem è nobili; Malo maius indicat.

Cedo quarti.

4. Enunciatum relatum ex maiori admiratione & minori gloria.

Quis alter Modus?

Sine Notis.

Alter Modus est sæpius Syllogisticus & sine Notis: quæ tamen huc etiam incidunt. Præcepto autem hic non includitur, quòd hic nullum requiratur; sed exemplis declaratur. Nam si tu Maius cum Quæstione Syllogismi legib. disposueris, partésque primo, consequentiam secundo iudicio exploraueris; nihil erraueris.

Quod primum exemplum?

Est Enthymema Æneæ socios consolantis ex adiunctis grauioribus nota comparatiui illustratum: Difficilioribus periculis perfuncti sumus, Ergo & leuioribus facilius perfungemur. Consequens causa conseruante illustratur.

2. Enthymema ex maiori attributione in rebus contrarijs: Sulpicius etiam inimicis vel abundantissimè consulit, Ergo & Cicero amicis mediocriter consulet. Ornatus est in Allegoria Metaphorarum.

Quid deinceps sequitur?

Gradatio.

Hinc illa gradatio sine Climace Rhetorico.] Admonitio est de peculiari vsu maiorum in augendo; cuius certus modus exemplo adumbratur. Sic enim Gnato Thaidis pro virgine gratias amplificat: Sit igitur hæc posita sententia: Thais agit magnas gratias: Imò maximas & lætissima est non tam ipso dono, quam id abs te datum esse. Notetur igitur peculiaris & sic varia argumentorum accommodatio.

II. DE FICTIS. *Cuius modi sunt ficta exempla?*

Secundi, quia sunt duo Enthymemata ex fictis maiori-

bus: Satrapes hos sumptus ferre non posset. Ergo nec tu, Iupiter non posset velificationem tenere. Ergo multo minus nos. Antecedens Caussis impedientibus declaratur. Hæc ratione facilioris minora videri possint: Vide secundam partem.

CAP. XX. DE MINORIBVS.

Minus est, cuius quantitas exceditur. Minus autem sæpe indicatur propriis notis: vt, non solum, sed ne: potius hoc quàm illud: cum, tum. Item per Grammaticam comparationem: denique per negationem pariii. Cic. 2. Catil. Nemo non modo Romæ, sed ne vllo in angulo totius Italiæ oppressus ære alieno fuit, quem non ad hoc incredibile sceleris fœdus asciuerit.

2. *Catil. Vt exul potius tentare, quàm consul vexare Remp. possis. 2. Agr. Quæ cùm omnibus est difficilis & magna ratio, tum verò mihi præter cæteros.*

Ouid. 3. de Trist.

Sæuior es tristi Busiride, sæuior illo,
Qui falsum lento torruit igne bouem,

Ouid. 1. Remed.

Vt corpus redimas, ferrum patieris & ignes,
Arida nec sitiens ora leuabis aqua:
Vt valeas animo quicquam tolerare negabis?
At pretium pars hæc corpore maius habet.

Atque huius eiusdem speciei sunt hæ formulæ, quæ fiunt negatione parium. Phi. 9. Omnes ex omni ætate qui in hac ciuitate intelligentiam iuris habuerunt, si vnum in locum conferantur, cum Seruio Sulpitio non sunt conferendi.

Catil. 2. Quanquam illi qui Catilinam Massiliam ire dicitant, non tam hæc quærumtur quàm vereatur. Pro Murena, Quod enim fretum, quem Euripum tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes & quantos æstus habet ratio comitiorum,

Aliquando nota nulla est, Pro Marcell. Tantum abes à perfectione maximorum operum, vt fundamenta, quæ cogitas, non dum ieceris. Pro Archia: Saxa & solitudines voci respondent: bestiæ sæpe immanes cantu flectuntur atque consistunt, nos instituti rebus optimis non poetarum voce moueamur?

7. *Virg.*

7. Ver. Gradatio illa est à minoribus. Facinus est vincire ciuem Roman. scelus verberare: prope parricidium necare: quid dicam in crucem tollere? Finguntur etiam monstra. Virg. Ecl. 1.

Ante leues ergo pascentur in æthere cerui,
Et freta destituent nudos in littore pisces;
Ante pererratis amborum finibus, exul
Aut ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,
Quam nostro illius labatur pectore vultus.

2. Philip. Orem non modo visu fœdam, sed etiam auditu: Si inter cœnam, in tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidisset, quis non turpe duceret? In cœtu verò populi Rom. negotium publicum gerens, magister equitum, cui ructare turpe esset, is vomens fructis esculentis vinum redolentibus, gremium suum & totum tribunal implevit.

QVAESTIONES EXPLICAT.

Quod minoris præceptum?

Minus est cuius quantitas exceditur.] Defi. à forma, quæ est quantitatis submissio, cùm exceditur à maiori. *Quid Minus?*

I. DE VERIS. *Quomodo vsurpantur minora?* *Vera.*

Prima tractatio est per notas relatas & comparatas, qualis sæpius in Enunciatis simplicis Expositionis. Sed varietas differendi etiam exemplis varijs passim demonstratur.

Quæ notæ minorum?

Non solum, sed ne: potius hoc, quam illud: Cum, tum; Comparatio Grammatica: negatio parium.

Cedo exemplorum explicationem.

Iæ Notæ exemplum est Enun. relatum, cuius prior pars impari subiectorum collatione illustratur ad multitudinẽ coniuratorum demonstrandam: vbi (Non modo) Minus, extenuando (Sed ne) Maius augendo indicat.

Zæ Notæ Exemplum Enun. relatum ex minore ad maius arguendum: Minus incommodum exulem tentare Rempub. Maius, Consulem vexare.

Zæ Exemplum Enun. relat. ex impari difficultate tuendi cõsulatus: minor vim arguendi habens præcedit, maior sequitur: omnibus quidem difficilis; mihi autem difficilima.

4. Exemplum Enunc. Copul. ex disparatorum subiectorum imparibus adiunctis, quorum duo Minora ad maius arguendum adhibentur: Maledicus est sæuior Busiride & Phalaride.

Vide 2. partem.

5. Exemplum est quidem syllogismus à minore scilicet labore qui vilioris rei. i. valetudinis tuendæ caussa impenditur, ad studium maioris & præstantioris nempe virtutis concludendum: vt,

Si corporis gratia quiduis pateris: certè & animi caussa patieris. Animus enim præstantior corpore. At primum: Ergo, &c.

Propositionis loco eius ratio à minoris & maioris demonstratione ponitur: Sed per notam compararini (Maius) hîc videtur præcipua esse illustratio.

Quid deinceps sequitur?

Admonitio interponitur de sequentium exemplorum frequenti illustratione per parium negationem, 6. igitur Exemplum Enunc. simp. ex imparibus adiunctis; vbi minor laus cæterorum Sulpicij laudem maiorē facit: Omnes Romani iureconsulti cum Seruio non sunt conferendi.

7. Exemplum Enunc. relat. ex minore ad arguendum Maius: Catilinarij non tam queruntur, quàm verentur.

8. Enunciatum relatum ex minoribus Euryporum & fictorum adiunctis, ad maiorem perturbationem comitiorum arguendam.

Quæ secunda tractatio?

ne Notis.

Secunda tractatio sine notis, & sæpius syllogistica admonitione proponitur, & exemplis declaratur.

Explicato analysin exemplorum?

1. Est Enthymema ex minore: Fundamenta maximorum operum nondum iecisti. Ergo nec absoluisti.

2. Enthymema ex minore; Saxa & bestiæ cantu flectuntur. Ergo magis homines poëtica afficientur.

Gradatio.

3. Exemplum cum admonitione de modo gradationis est Enthy: ex tribus minoribus ad maius concludendum: Vincire ciuem Romanum est facinus; Verberare scelus; necare parricidium. Ergo turpissime cruciatum in crucem

crucem tollere omnium fædissima tyrannis est.

II. DE FICTIS. *In quem modum cadunt ficta exempla?* *Ficta.*

In vtrunque: Nam 1. Est enunciatorum relat. ex minoribus hyperbolicè fictis ad immortalem Cæsaris beneficiorum memoriam arguendam. Sic enim hæc sententia tribus minoribus declaratur.

2. Est Enthymema ex minore: Domi vomere turpissimum esse. Ergo magistrum equitum in foro vomere multo turpius est. Propositio connexa primum veritatis iudicium continet: Si domi vomere turpe est; certè in foro & quidem magistro equitum turpissimum.

CAP. XXI. DE SIMILIBVS.

ADhuc comparatio in quantitate fuit, sequitur comparatio in qualitate, qua res comparatæ quales dicuntur, nempe similes aut dissimiles.

Similia sunt, quorum est eadem qualitas.

Similitudo proportio dicitur, vt similia proportionalia. Notæ similitudinis (quæ vno verbo concluditur) sunt: Similis, Effigies, More, Instar, Tanquam, Sicuti: tum negatio dissimilitudinis, Haud secus, non aliter. 1. Aeneid.

Os humerósque Deo similis. ——

Philip. Quanquam nullum monimentum clarius Seruius Sulpitius relinquere potuit, quàm effigiem morum suorum, virtutis, constantiæ, pietatis, ingenij, filium. 1. Trist.

Namque ea vel nemo, vel qui mihi vulnera fecit,
Solus Achilleo tollere more potest.

In Pis. Vnus ille dies mihi quidem instar immortalitatis fuit, quo in patriam redij. Ver. 1. Sed repente è vestigio ex homine, tanquam aliquo poculo Circeo, factus est Verres. Pro Pompeio. Itaque omnes quidem nunc in his locis Cn. Pompeium sicut aliquem non ex hac vrbe missum, sed de cælo delapsum intuemur.

3. Æneid.

Haud secus ac iussi faciunt. ——

Terent. in Phorm.

Ego isti nihilo sum aliter, ac fui.

Similitudinis partes deinceps explicantur, & quidem disiunctè vel continuè. Similitudo disiuncta est, quando termini quatuor reipsa distinguuntur. Ecl 5.

Tale tuum carmen nobis diuine poëta,
Quale sopor fessis in gramine——

Carmen ad auditorem, vt sopor ad fessum, termini quatuor distincti sunt.

Ad Frat. 1. Quemadmodum gubernatores optimi vim tempestatis, sic sapientissimi viri fortunæ impetum persæpe superare non possunt. Hic quatuor sunt item termini, vt gubernator ad tempestatem, sic sapiens ad fortunam. 1. Trist.

Scilicet vt fuluum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspicienda fides.

Cicer. 2. Phil. Sed nimirum vt quidam morbo & sensus stupore, suauitatem cibi non sentiunt: sic libidinosi, auari, facinorosi, veræ laudis gustum non habent.

Virgilius fecerat hos versos,

Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane:
Diuisum imperium cum Ioue Cæsar habet.

Batyllus arrogauerat sibi, præm. úniq, magnum erat adeptum. His igitur similibus Batyllum Virgilius lusit,

Hos ego versiculos feci tulit alter honores:
Sic vos non vobis nidificatis aues:
Sic vos non vobis mellificatis apes:
Sic vos non vobis vellera fertis oues:
Sic vos non vobis fertis aratra boues.

Aliquando nulla prorsus est nota. Ecl. 2.

O formose puer, nimium ne crede colori,
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Continua similitudo est, quando est vt primus terminus ad secundum, sic secundus ad tertium. 3. Leg. Videtisne magistratui hanc esse vim, vt præsit, præscribat recta & vtilia & coniuncta cum legibus? vt enim magistratibus leges, ita populo præsunt magistratus. Hic termini sunt tres: lex, magistratus, populus,

Ficta similitudo parem vim habet superioribus illis, sed præcipue in hac explicata similitudine. Aesopici Apologi excellunt. Horat. 1. Epi.

Quod si me populus Romanus forte roget, cur

Non

Non vt porticibus sic iudicijs fruar ijsdem,
Nec sequar, aut fugiam quæ diligit ipse, vel odit:
Olim quod vulpes ægroto cauta leoni
Respondit, referam: quia me vestigia terrent
Omnia te aduersum spectantia, nulla retrorsum.

QVAESTIONES EXPLICAT.

Quod hic Methodi vinculum?

TRansitio perfecta à priore genere in Quantitate, ad alterum in qualitate.

Quod hîc primum præceptum?

Comparatio in qualitate est, qua res comparatæ quales dicuntur.] Definitio à forma, quæ est affectio qualis, cum quale hoc, tale vel non tale illud comparatur. *Quid comparatio in Qalitate.*

Quid hîc Qualitas?

Qualitas logica, id est generalis & vniuersalis est communis affectio qua quiduis tale vel non tale, simile vel dissimile nominatur: ideoque & in naturis & in adiunctis affectionibus, tum quantitas tum qualitas mutata tractatione spectatur: vt, Tanta eruditio Sulpicij, quanta aliorum: Talis eruditio, qualis aliorum, q. d. in Iure & non alia scientia.

Quod secundum documentum?

Cõparatio qualitatis vel est similium vel dissimilium.] Diuisio est in duas species oppositas: quarum vtraque sua affecta vno nomine & loco comprehendit. *Quotuplex.*

Quod de similibus præceptum?

Similia sunt quorum est eadem qualitas.] Definitio à forma, quæ est similis quædam affectio, seu qualitatis quasi consensio. Illustratur nominibus synonymis: atque huc vt omnium rerum, ita & verborum similium analogia & proportio pertinet. Atque apud Aristotel. lib. 1, cap. 14. inter quatuor communia instrumenta dialectici refertur Similitudo & Dissimilitudo.

Quis

Quis hic affectus seu respectus?

Simile arguit simile, & vicissim ab eo arguitur. 1. DE VERIS similibus; vbi prima tractatio similitudinis inuolutæ & inclusæ per Enunciata; quæ suis notis illustratur.

Vbi.

Quæ sunt Notæ breuem similitudinem indicantes?

Notæ.

Eæ sunt duplices: 1. Voces similitudinis, Similis, Talis, Effigies, More, Instar, Tanquam, sicuti. 2. Negatio dissimilitudinis; vt, haud secus, non aliter.

Cedo exemplorum rationem ordine.

1 Enunciatum est ex similibus adiunctis corporis cuius Nota similis: Æneas vultu & humeris Deo similis erat, scilicet erumpens è nube Veneris.

2 Enunciatum copulatum est è similibus patris & filij adiunctis: cuius nota est Effigies, methaphoricè: Filius ingenio & virtutibus patri est similis. Loquitur autem de luctu filij postulantis à Senatu statuam patri: vbi hæc correctio à pari adhibetur; At filius tam clarum patris monumentum, quam vllum aliud: in cuius collationis alteram partem hæc breuis similitudo incidit.

3 Enunciatum simplex è similibus factis; cuius nota, More.

Solus Cæsar me Achilleo more ab exilio reuocare potest. Attamen est altera pars Enunciati disiuncti simili illustrata. Aut nemo aut Cæsar solus me reuocauerit, vt solus Achilles potuit à se vulneratum Telephum sanare.

4 Enunciatum relatum ex similibus adiunctis per notam, Instar.

5 Enunciatum simplex illustratum simili caussa per notam; Tanquam: is ex homine tanquam poculo Circeo factus est Verres.

6 Enunciatum simplex ex adiuncto simili illustrato tale esset.

Omnes Pompeium sicut aliquem de cælo delapsum intuentur. Sed incidit dissimile, vt quasi discretum sit. Loquitur autem de illius continentia.

7 Enunciatum relatum ex effectis similibus, per notam, Haud secus. Arma enim capiebant aduersus Harpyas, vt Æneas imperauerat.

8 Enunciatum

Enunciatum relatum ex ſimilibus adiunctis per notam, Nihilo aliter, Ego Dorio in Phædriam idem ſum qui fui.

Quæ ſecunda tractatio?

Secunda Tractatio eſt explicatæ ſimilitudinis per Enũciata.] vel etiam ſyllogiſmos: quæ tamen ſuas etiam notas habet, Talis, qualis, vt, vel, quemadmodum, ſic, &c. Similia quidem magis illuſtrant quam firmos ſyllogiſmos faciunt attamen aliquando illæ explicatæ ſimilitudines vel Enthymemata ſunt, vel connexæ propoſitionis, vnde aſſumatur & concludatur, vim continent. *Explicata.*

Quæ explicata Similitudo?

Cuius partes vtrinque prothaſi & apodoſi explicantur.

Quotuplex Explicata?

Duplex. Diſiuncta vel Continua. Atque hæc genera huc ex Methamaticis traducta planè logica ſunt & communia rerum omnium.

1. Quæ Diſiuncta? *Diſiuncta.*

Similitudo diſiuncta eſt, quando termini reipſa quatuor diſtinguuntur: quæ Definitio eſt ab eius explicata forma.

Quod primum exemplum ad Diſiunctam illuſtrandam?

Enunciatum relatum de ſuauitate carminis Mopſi quo νοσθέωσιν Daphnidis execellenter celebrauerat; eáque ſimili declaratur.

Quod ſecundum?

Enunciatum ſimile de periculis quæ ſapientiſsimis Reipublicæ gubernatoribus ſæpe accidunt, ſimilitudine declaratum: quanquam & ſic propoſitionis connexæ ſententia ſit.

Si gubernatores optimi, &c. Conſecutionis ratio eſt ex Definitione ſimilium, quia ſit eadem qualitatis ratio.

Quod tertium?

Superiori omnino ſimile eſt: Si aurum igne probatur: fides periculo. Similis enim auri ad ignem, & fidei ad periculum qualitas. At aurum igne: quia quo ſæpius arſit, eò magis proficit ad bonitatem, teſte Plinio. Ergo & fides periculo.

Quod

Quod quartum?

Eiusdem prosus generis; qua hanc sententiam, vt Quæstionem; Facinorosos veræ laudis gustum non habere; similitudine ab ægrotantibus & stupidis arguit.

Quod Quinctum?

Querela Virgilij de Batyllo, (Ego feci versus; sed Batyllus eos surripuit, magnúmq; præmium adeptus est) quatuor similibus ad ipsum ludendum exponitur & declaratur. Protasis postrema est, & particulam sic habet, quod ad factum similia illa accomodentur. vide Virgilij vitam ab Ramo expositam.

Quid deinceps sequitur.

Sine Notis. *Admonitio seu obseruatio* de vulgari modo similia nude absque aliqua nota tractandi.

Quale exemplum?

Enthymema è duobus similibus: cui propositio hæc addatur: Si candidi flores ligustrorum statim cadunt & pereunt; hyacinthi purpurei leguntur: certe & candor formæ iuuenilis breuis est, nec forma ex parte aliqua nigricans vituperanda. Similis enim ratio. At primum. Ergo & postremum. Sic enim Corydon, cum à suo Alexi sperneretur conquerebatur. Aut simplex sententia simpliciter simimilib. per enunciata sic declaratur.

2, *Quæ Continua?*

Continuæ. *Continua similitudo est, vt primus terminus ad secundum, sic secundus ad tertium.*] Definitio est á forma, quæ est analogica per tres terminos progressio.

Quale hic exemplum?

Enthymema è simili relatorum affectione: vt magistratibus leges, ita populo præsunt magistratus. Ergo magistratus præerit, & coniuncta cum legibus præscribet.

Quid deinceps?

Ficta. DE FICTIS similibus: quorum vis collatione proponitur. Sic Æsopi fabulæ & Apologi similitudine animos præsertim imperitorum afficiunt, & vt consentiant alliciunt.

Qua-

Quale hic exemplum fictæ ſimilitudinis?

Enthymema ab effecto populi ficto de Leone, ſimili. i. apologo illuſtrato. Populi iudicia ſapientem in pericula adducunt, vt Leo Beſtias ad ſe deſcendentes deuorauit. Ergo populi iudicia fugienda.

Vel ita ſimpliciter Apologus ad propoſitum explicandum accommodetur.

Quemadmodum Beſtiæ ad Leonem in antrum deſcendentes in periculum vitæ veniebant: ſic ſapiens iacturam ſapientiæ facit ſi iudicium populi ſequatur. protaſis apologi ſequitur.

CAP. XXII. DE DISSIMILIB.

DIſſimilia ſunt comparata, quorum qualitas eſt diuerſa. Diſſimilitudinis propriæ notæ ſunt, diſſimile, diſpar, differens, aliud, ſecus. Pro Plan. Quanquam diſſimilis eſt debitio pecuniæ & gratiæ. Ennius.

O domus antiqua, heu quàm diſpari dominare domino.

Cæſar 1. bell. Gallic. Hi omnes lingua, inſtitutis, legibus inter ſe differunt. 2. Aga. Alio vultu, alio vocis ſono, alio inceſſu eſſe meditabitur. Cicero 2. Nat. Quoniam cæpi ſecus agere atque initio dixeram.

Diſſimilitudinis notæ etiam ſunt per negationem ſimilium. 3. de Orat. Non eſt philoſophia ſimilis artium reliquarum.

2. Æneid.

At non ille, ſatum quo te mentiris, Achilles,
Talis in hoſte fuit Priamo. ---

Hor. 1. Epiſt.

Non eadem eſt ætas, non mens. ---

1 ad Frat. Sit annulus tuus, non tanquam vas aliquod, ſed tanquam ipſe tu. Philip. 3. Certus dies non vt ſacrificij, ſic conſilij expectari ſolet. Hoc argumento paſtor ille errorem ſuum confitetur.

Vrbem (quam dicunt Romam) Melibœe, putaui
Stultus ego, huic noſtræ ſimilem. *Et mox,*
Sic canibus catulos ſimiles, ſic matribus hœdos
Noram,

Noram, sic paruis componere magna solebam.

Vt nec canibus catuli, nec matribus hædi, sic nec Manl... Romæ similis. Nota plerunque nulla est, & dissimilitudo plen... explicatur. Quint. lib. 3. cap. 1. Brutus occidit liberos proditionem molientes. Manlius virtutem filij morte mulctauit. Catul.

Soles occidere & ridere possunt.
Nobis cum semel occidit breuis lux,
Nox est perpetua vna dormienda.

QVAESTIONES EXPLICAT.

Quod dissimilitudinis præceptum?

Quæ Dissimilia? *Differentia prædicabile.*

DIssimilia sunt comparata, quorum qualitas est diuersa. Definitio est à genere & forma; quæ est qualitatis insita vel externæ differentia: vnde etiam Porphyrij differentiæ quædam huius sunt generis; & hinc pleræque distinctiones, quibus rerum dissimilitudines ostenduntur.

Quæ dissimilium affectio?

Affectio. Dissimile arguit dissimile, & vicissim ab eo arguitur.

Quid interest inter Diuersa & Dissimilia?

Discriminen à Diuersis. In diuersis simplex et absoluta duorum dissensio spectatur; in dissimilibus dissimilis quatuor terminorum. i. duarum rerum & earūdem qualitatum comparatio. Illic propriè alterum ratione certa negas, alterū affirmas; hîc neutrum negas, sed qualitatum differentia distinguis. Itaque omnia etiam dissentanea, vt dissimilia tractari possunt, si diuersa qualitas respiciatur.

Quod discrimen Imparium & Dissimilium?

Ab Imparibus. Paria & Imparia quantitate; Similia & Dissimilia qualitate æstimantur; sed ita vt logicè intelligantur; ideoque mutata affectionis consideratione in easdem res incidant.

Quomodo præceptum demonstratur?

Inductione exemplorum, quæ duobus Modis cum notis & sine notis distinguuntur.

Quis prior modus?

1. cum Notis. *Prior Modus* est breuioris dissimilitudinis cum Notis, quæ tamen etiam in Explicatam cadere possunt.

Quæ Notæ illæ?

1 Voces dissimilitudinis, Dissimile, dispar, differens, ali...

aliud, ſecus. 2. Negatio ſimilium, vt, Non ſimilis, non talis, non idem, non tanquam.

Cedo ordine exemplorum breuem explicationem?

1 Enunciatum ſimplex eſt, de diſsimili affectione debitionis pecuniæ & gratiæ; quod qui pecuniam diſſoluerit, amittat: gratiam qui referat etiam animo habeat. Pecuniæ debitio gratiæ debitionis diſsimilis eſt.

2 Enũciatum ſimplex eſt de diſsimili domino domus, ex Ennio 1. Offic.

3 Enunciatum copulatum ex diſsimilibus adiunctis Gallorum Aquitanorum, Celtarum, & Belgarum.

4 Enunciatum copulatum ex diſsimillibus adiunctis inſolentis Rulli.

5 Enunciatum relatum ex diſsimilibus effectis.

2 *Sequuntur exempla per negationem ſimilium.*

6 Enunciatum ſimplex è diſsimilibus adiunctis; ſignificat autem artes cęteras vt Mathematicas ſine præceptis & præceptoribus non percipi; Philoſophiam autem moralem ingeniorum acumine intelligi, quia nobis notiones de rebus bonis & malis inſitæ & ingeneratæ ſint.

7 Ennnciatum relatum ex diſsi. adiunctis: Non talis pater tuus Achilles in me hoſtem ſuum, qualis tu in Polytem filium meum. Sic enim exprobat Pyrrho cædem Polytis filij: Achilles autem miſeratus ſupplicem Priamum ei corpus Hectoris reddiderat.

8 Enunciatum relatum & copulatum Horatij vacationem poſtulantis: Non eadem mens, nec ætas, quæ fuit.

9 Enunciatum relatum ex diſs. adiunct. annuli & vaſis: ne illum temerè committat alteri, ſitque ita miniſter alienæ voluntatis, non teſtis ſuæ.

10 Enunciat. relat. ex diſsimilibus adiunctis ſacrificij & conſilij. Sacrificij enim dies exſpectari poteſt, conſilium interdum ex re & tempore ſumi oportet.

11 Enunciatum ſimplex diſs. adiunct. Mantua non eſt Romæ ſimilis; declaratur duobus alijs diſsimilibus; quorum protaſis ſequitur: Tractãtur autem ita vt ſe ſtultè exiſtimaſſe ſimilem eſſe, confiteatur. Sic enim in hac confeſ- *Tacita negatio.*

sione est tacita vis negationis, vt mox redditio. Verũ hæc, &c. ostendit. Ego quidem similem putabam; sed est dissimilis.

Quis alter Modus?

Alter modus est sine Notis, sic etiam explicatæ dissimilitudinis, vbi quatuor termini apertè distinguuntur: qui etiam syllogismis conuenit.

Quibus exemplis declaratur?

1 Est Enunciatum simplex alio dissmili explicatum & illustratum ex Liuij lib.2.& 8.

2 Enunciat.relat.Cum homines moriuntur, perpetuò exstinguuntur: dissimili illustratur; cuius protasis præcedit. Sic autem Lesbiam amicam ad delicias in vita perfruendas impiè hortatur: Cum vitâ sempiterna sempiternis animis cum corporibus è puluere terræ excitatis futura sit. Exempla syllogistica & multiplicata vsus suppeditat; vide partem tertiam.

Orta habent affectionẽ primorũ [illegible]

CAP.XXIII. DE CONIVGATIS.

HActenus prima argumenta sunt exposita, sequuntur orta de primis, quæ perinde sunt ad id quod arguunt, sicut prima, vnde oriuntur: vt coniugata & notatio: distributio & definitio.

Coniugata sunt nomina ab eodem principio variè deducta, vt iustitia, iustus, iustè.

In coniugatis symbolum est consentaneorum argumentorum. Proper.lib.2.

Libertas quoniam nulli iam restat amanti.
Nullus liber erit, si quis amare velit.

Hic libertas causa est, cur sis liber. Cicer.5.de Nat. Deo. cùm de Dionysio Tyranno loquitur: Iam mensas argenteas de omnibus delubris iussit auferri, in quibus quod more veteris Græciæ inscriptum esset, Bonorum Deorum, vti eorum bonitate velle se dicebat: Dij boni sunt: eorum igitur bonitate est vtendum. Hic ex effectis ad caussas est disputatum. Terent.

Homo sum, humani à me nihil alienum puto.

Ex subiecto est ad adiunctum.

Contra Phil.2. Non tractabo vt consulem, ne ille quidem me vt consu-

consularem. In Pison. Cùm esset omnis illa caussa consularis & senatoria, auxilio mihi opus fuerat & Consulis & Senatus.

QVAESTIONES EXPLICAT.

Quomodo deinceps Methodus colligatur?

TRansitione perfecta explicatio argumentorum primorum clauditur, & Ortorum proponitur.

Quod primum de Ortis præceptum?

Orta perinde sunt ad id quod arguunt, sicut prima vnde oriuntur.] Definitio seu Axioma Ortorum à communi forma; quæ est eadẽ affectio cum primis, qua vis arguendi generatim explicatur. *Quæ Ortorũ affectio?*

Sed velim planius explices cur Orta nominentur?

Quia cum prima quatuor summa genera, quælibet primam. i. propriam, peculiarem, & distinctam, quæ non aliũde pendeat, originem, naturam, affectionem, & doctrinam habeant: Orta sunt illorum notæ, symbola & signa, quæ eorundem vim & affectionem nouis nominibus, aliáque via inueniendi ita referunt, representant, imitantur, atque etiam iunctione aliqua comprehendunt, vt horum origo, affectio, doctrina, consideratio, explicatio & vsus ex illis dependeat, & deriuata sit; primáque ad ortorum explicationem tanquam fontes & parentes repetantur & assumantur. Cuiusque igitur Orti cum suo primo eadem est affectio; vt qui Orto vtatur primo etiam vtatur, & hoc illius vim demonstrare cogatur, non contrà. *Cur orta?*

Quod secundum præceptum?

Vt Coniugata & Notatio: Distributio & Definitio.] Dichotomia est Ortorum in duo genera innominata, quæ ideo binis speciebus è duplici communione exprimuntur. *Quot Ortorũ genera? Duo.*

Quid priores species commune habent?

Quod earum Categoria tota sit Nominalis & quasi simplex; hoc est, quòd tum nomina ipsa, rerum symbola argumenta faciant, quæ rerum significatarum & primarum affectionem representent, tum ex vno aliquo primo, vt ex vna caussa, vnóue ex reliquis primis oriantur. Itaque in his *I. Communio.*

origo & deriuatio etiam obſcurior eſt; cùm rerum primarum, quæ nominibus ſubiectæ ſint, vis & ratio non protinus appareat; & nominum rationes pleræque obſcuræ aut ignotæ ſint.

Quid poſteriores commune habent?

2. *Communio.* Quod earum Categoria ſit quaſi Realis & Compoſita, hoc eſt, quod tum in rebus ipſis ortis primarum ſit affectio: tum à compluribus coniunctis oriantur; cùm Diſtributio è pluribus partibus nempe cauſsis vel effectis, vel ſubiectis vel adiunctis; Definitio ex genere & forma, aliiſue etiam argumentis conficiatur. Itaque in his etiam origo eſt apertior, cum apertè ſuos parentes præ ſe ferant appellationéq; exprimant. Talis igitur communio generum vtrobíq, intelligitur, ſed apto nomine explicari nequit.

At ſi prius illud genus Nominale eſt, an non grammaticum potiùs, quàm logicum eſſe videtur?

Imo vero logicum ideo fuerit, quòd argumenti è nominum ratione Inuentionem doceat. Eſt enim logica omnis entis & non entis, ideóque etiam Nominis, quatenus ad rem arguendam argumentum facit. Grammatica nominum adſignificationes, de ſermonis puritate exponit. Dialectica autem è nominibus etiam argumenta ſumit, eorúmque ad res ſignificandas & arguendas notiones & afectiones inquirit.

Quid Ariſtoteles de Ortis argumentis?

Species quidem Ortorum ſparſim & copioſè explicauit, ſed Generibus & doctrinæ ratione ita non diſtinxit.

Quomodo igitur Orta generum communione adumbrantur?

V. ORTVM eſt.



L.

1. CONIVGATA.

Quod primum coniugatorum documentum?

Que Coniugata?

Coniugata sunt nomina ab eodem principio variè deducta.] Definitio à genere & forma; quæ est nominum ab eodem principio deductio, qua talis rerum affectio & progressio exprimitur. Quare Coniugata non solum ex ipsis vocabulis eorúmque sono, sed etiam ex eorum sensis & notione. i. argumentis æstimanda sunt.

Quæ hic arguendi affectio?

Coniugatum arguit coniugatum.

Quæ appellatio & significatio?

Aristoteli 3. cap. 2. Top. σύζυγα dicuntur, quæ propriè cognata dixeris, vt iustitia, iustus: vbi aduerbia è nominibus nata vocat πτώσεις casus: sed hanc differentiam ipse postea contempsit. Cicero in Top. σύζυγα ἢ συζυγίαι Coniugata & coniugationem dicit; quæ verba, etsi Aristotelis verbo non omninò respondeant, tamen in hac re trita & vsitata sunt. Quidam παρώνυμα. i. cognominata ex Aristotelis Categorijs nominant, quæ sint eadem quæ Grammaticis primitiua & deriuatiua, ideoque hunc locum ad Antecedentium & Consequentium affectionem referunt. Sed nec paronyma huius argumenti affectionem in Categorijs prorsus complectuntur; nec Antecedens & Consequens peculiare argumenti genus faciunt, vt amplius parte secunda dicetur. Sgnificant igitur Coniugata, quæcúnque nomina ab eodem principia orta variè ita deducuntur, vt rationem inter se communem, affectionémque argumenti consentanei habeant. *Nomina.*

Quomodo Definitio demonstratur?

Exemplo nudo vocum, quæ caussarum & effectorum affectionem referunt.

Quod secundum documentum?

In Coniugatis symbolum est consentaneorum argumentorum.] Axioma est de huius generis parentibus seu origine; qua vis arguendi continetur. *Coniugata vndeoria.*

Quomodo illud demonstratur?

Inductione exemplorum ordine suam ex primis originem referentium.

Cedo igitur eius rationem quod è caussis originem habet.

Enthymema est à negato primo coniugato tanquam caussa: cui hæc propositio addatur: Si libertas non restat amanti, is qui amabit non erit liber. In his quatuor coniugatis (libertas & liber) deinde (amans & amor) latent caussæ & effecta, sed paulò dissimiliter.

Cedo eius quod ex effectis?

Enthymema etiam est ex posteriore nomine nempe effecti symbolo, ad caussæ symbolum concludendum. Bonos enim dici Deos, bonitatis effectus est. Vide 3. de Nat. Deo.

Cedo è Subiectis.

Enthymema est è subiecti symbolo affirmato, ad adiuncti symbolum concludendum: adde: Si homo est, particeps rerum humanarum est.

Cedo ex adiunctis.

Enthymema est ex adiuncti symbolo ad subiectum; vbi etiam par ratio incidit. Non tractauit me pro dignitate cõsulari. Ergo nec ipsum vt consulem tractabo.

Huic simile subiungitur exemplum per enunciatum relatum: quod connexo affine est: vbi subiectorum & adiunctorum vim habent, Consul, Consularis; Senatus & Senatorius.

CAP. XXIIII. DE NOTATIONE.

NOtatio est nominis interpretatio: nomina siquidem sunt notæ rerum, nominumq; vel derivatorum, vel compositorum, si vera notatione fiant, ratio reddi potest ex aliquo argumẽto primo: vt homo ab humo, Ouid. 6. Fast.

Stat vi terra sua, vi stando Vesta vocatur.

Ex caussa est notatio.

At focus à flammis, & quod fouet omnia dictus.

Ex effectis est notatio.

Item 4. Ver. O Verrea præclara: Quo enim accessisti, quo non extuleris tecum istum diem? Etenim quam tu domum, quam vr-

ben

bem adiisti, quod fanum denique, quod non euersum atque extersum reliqueris. Quare appellentur sanè ista Verrea, quæ non ex nomine sed ex moribus naturaq; tua constituta esse videantur. Ex effectis item est notatio, Ouid. 1. Fast.

Prima dies tibi Carna datur, dea cardinis hæc est,
Nomine clausa aperit, claudit aperta suo.

Hic est notatio è subiecto cardine, circa quem numen deæ exercetur. At ex adiunctis notatio est Bambalionis, 2. Phil. quia balbus & stupidus: hinc igitur cauillatio in Antonium generum. Tuæ coniugis, bonæ fœminæ, locupletis quidem certè, Bambalio quidam pater homo nullo numero, nihil illo contemptius: qui propter hæsitantiam linguæ stuporémque cordis cognomen ex contumelia traxerit. Ex adiunctis est notatio.

E dissentaneis autem sunt illa apud Quinctilianum lib. 1. cap. 6. Lucus, quia umbra opacus parum luceat: & ludus, quia sit longissimè à lusu: & Dis quia minimè diues. Potest etiam è comparatis esse notatio: vt Pyropus quòd ignis flammam imitetur.

Est verò vt notationi ad suum nomen, sic nomini ad notationem sua affectio: vt, Animi plenus, ergo animosus, & contra, Animosus, ergo animi plenus.

QVAEST. EXPLICAT.

Quod primum de Notatione præceptum?

Quæ Notatio.

NOtatio est nominis interpretatio.] Definitio à forma, quæ est nominis interpretatio, & expositio originis per Etymologiam ex prima aliqua Rei affectione, vt ex caussa, vel alio argumento primo, vnde nomen Rei videatur impositum,

Quæ appellatio & significatio?

Nomina.

Græcis dicitur Ἐτυμολογία & ἔτυμον verbi, Ciceroni veriloquium, aut potius Notatio, quod ὀνόματα seu λέξεις. i. verba & voces, seu Nomina & vocabula sint Rerum Notæ; quibus illæ vocantur & consignantur; vnde etiam symbola nominantur. Significat autem Logica notatio non rerum exteriores notationes, quæ sunt ipsa nomina, sed Nominum ipsorum rationes, origines, & deductiones, è quibus & res notatæ seu nominatæ & ipsæ No-

tæ argui & explicari possunt. Hinc itaque Originatio etiam & Interpretatio dicitur; quod Nominum origines, ex argumentis Rei cui imposita & vnde orta ductáque sunt, aperiat & interpretetur. Hinc etiam λόγος ὀνοματώδης definitio nominalis, λόγος ὀνόματος definitio nominis: & τόπος ἀπὸ τοῦ ὀνόματος locus à nomine Aristoteli nominatur; quod sic nominis ratio & vis explicetur & quasi definiatur. Nominis autem consideratio maximas sæpe in differendo commoditates habet; cum vnde deductum sit inquirimus, indeque vim eius & significatum inuestigamus.

Quod discrimen est inter Etymologiam Grammaticam, & Notationem Logicam?

Discrimen. Etymologia Grammatica vocum singularum, quibus res nominantur, proprietates interpretatur, non ex aliena affectione, i. non ex ijs quæ significantur, siue ex rerum significatarum natura, sed ex propria vocum ipsarum affectione. i. tum ex ijs quæ adsignificantur, tum ex ipsarum finibus: quibus puritas sermonis in rebus exprimendis seruatur. Sic enim externarum notarum quasi à rebus auulsarum accidentia, quibus in vsu sermonis popularis & patrij. i. significationibus noti vsurpantur, separatim docet, ideoque est exterioris sermonis. Notatio Logica vocũ seu nominum ipsorum rationem interpretatur, nõ ex propria affectione seu accidentibus suis, sed ex aliena i. ex rerum significatarum natura & viribus nempe ex caussis vel alijs argumentis primis, etiam suis vocibus expressis. Sic n. internam ex rebus notationem nominum instituit, qua vt natiuæ significationes ad differendi veritatem exquirũtur, sic res nominatæ atque adeò ipsa nomina arguuntur & probantur; ideoque est interioris rei & sensi ad exterius vocabulum rei impositum.

Quod secundum præceptum?

Quæ nominum affectio & origo? *Nomina siquidem.*] Axioma ad illustrandam definitionem tum de nominum ad res ipsas affectione, tum de interpretationis originisque argumentis. Nomina enim ad res vt adiunctæ notæ, symbola, vel instrumenta, quibus significantur & consignantur, affecta sunt: ideoque eorum origo

origo (si ratione imposita & nota sint, vt ferè deriuata & composita) ex rerum natura pendet, indéque interpretatio sumitur; quæ ideò definitio nominis etiam dicta est. Verbis igitur quasi notis rerum vtimur, quemadmodum ratiocinatores calculis: neque enim magis de re loqui & agere inter nos, nisi nomine ipsius pronunciato, quam sine calculis ratiocinari possumus. Ex quo intelligitur inter rem & ipsius Vocabulum mutuam affectionem & quandam quasi concretionem existere: quam Dialecticus queat dirimere & deducere, vt etiam separatim & res & dictiones quasi nudas & abstractæ considerentur. Et quoniam Logicus illam inter res & nomina affectionem eiúsque rationem considerat (est enim hoc rationis munus) atque etiam animi notione illam separatam considerationem efficit: rectè Plato in Cratylo dixit, Dialectici opus esse & nomina rebus imponere, & imposita interpretari. Sic in dictionibus æquè atque in rebus Dialectica versatur: τυγχάνει γὰρ (vt Chrysippus, auctore Laertio, dicebat) περὶ σημαίνοντα καὶ σημαινόμενα: versatur in significantibus et significatis seu sensis.

An igitur omnia nomina certa illa affectionis ratione imposita sint?

Vetus est Philosophorum quæstio, quæ à Platone in Cratylo luculenter explicatur, vtrum vocabula sint natura, an instituto, ἢ φύσει, ἢ θέσει. Quidam nomina naturali quadam rerum veritate constare existimant, ideoque, vt Stoici artis Dialecticæ professores summi, omnium propè verborum origines perquestigare student. Alij verò, quia multò maximam partem vocabulorum caussam notationemque ignotam habere vident, nomina non natura aut certa rei affectione, sed κατὰ συνθήκην. i. hominum arbitrio et voluntate imposita esse existimant. Socrates igitur tanquam honorarius arbiter, illam Cratyli et Hermogenis controuersiam in hũc modum disceptat: Nominum quædam esse vera, quæ substantias rerum nominatarum significent, et quorum recta ratio reddi possit; quædam esse falsa, et quorum nòtatio diuersa sit à re quæ nominatur: quædam esse primitiua, quorum origo barbara sit, aut

certè nobis ignota: Itaque nomina quidem arbitrio hominum constare, sed sæpe sapienter & rerum naturis nomina ipsa accommodante: qualia multa & diuina & non diuina Socrates in Cratylo interpretatur. Aristoteles etsi 1. cap. 1. de Interpret. vocabula arbitrio hominis imposita censeat; tamen manifestè significat multas notationes exquiri posse, dum Notationis argumentum instituit, & definitionem, locúmque nominis appellat. Quare non iudicauit ita absque omni ratione vocabula rebus imposita, quin eorum, si composita præsertim aut deriuata essent, ratio reddi posset.

Quæ caussa huius diuersitatis esse videtur?

Adamus integra ratione rebus nomina ex naturæ vi significantia imponere potuit; quorum ideò etiam certa notatio in Hebraica lingua. At deprauata ratione & confusis linguis nomina videntur vel latente notatione exstitisse, aut ex Hebraica etiam lingua in alias & sic porrò deprauata, vt Pallas, Iouis, &c. vel deinceps ab hominibus partim certa ratione, vt præcipuè deriuata & Composita: partim sola voluntate & arbitrio imposita esse; & deinceps in plures etiam res accommodata & sic translata. Significant enim partim vi natiua, partim multiplici, & vsu; atque ita vsurpantur vel propria significatione, vel modificata, quæ in Rhetorica docetur; adsignificant porrò, & fines commutant in sermonis vsu, cuius puritatem Grammatica cõseruat. Notatio igitur alia est vera, eáque certa, vel contingens & incerta, alia etiam falsa.

Quibus igitur instrumentis & notationes & multiplices porrò significationes inueftigantur?

Instrumenta inuestigandæ notationis & significationis.

Logicis illis Inuentionis instrumentis, & vijs inquirendi, quæ sunt omnibus & rebus & vocibus, siue sint, siue non sint communes, quæque omnium omnino artium & disciplinarum materiam obseruarunt & in suas quasi classes, adhibito iudicio, distinctam comportarunt. Notatio enim et sic natiua vis significandi argumentis primis exquiritur; quæ rerum vim, vnde sunt imposita nomina, vel per se propriáque affectione, vel per antithe-

sin

in aut comparationem aliena effectione arguunt. Reliquæ multiplices significationes, vt & adsignificationes & modificationes ijsdem & reliquis etiam generibus deprehenduntur & distinguuntur. Atque vt significationes in rerum disciplinis & communi vsu cernuntur, vnde etiam in lexica diriguntur: sic adsignificationum & modificationum rationes præceptis inclusę in Grammatica & Rhetorica logico artificio traduntur, indéque eodem ad singula exempla accommodantur. Itaque vt res significatæ, ita & voces significantes, siue concretione illa coniunctæ, siue etiam auulsæ, per locos sunt deducendæ, vt ita mutua affectione, quam voces habent tum ad res, tum ad adsignificationes cæteráque accidentia pariter perueſtigentur. Atque huc pertinent Modi illi, quos docti viri præcipuos ex vniuersa Inuentione de verborum vi & vsu æstimando notarunt; quò & Logici instrumenta accommodantur, & variæ definitiones nominis referuntur. Vide Dial. D. Ioan. Sturmij: præfat. Antonij Schori ad Phrases, & infra part. 2. & 3.

At vero ita artes confundit vni Logicæ omnia subijciendo?

Minimè verò in Logica omnia confundo, cùm logicam artem omnium antiquissimam & generalissimam, ideoque omnibus omnino cõmunem efficio, quæ omnia quidem inueniat & iudicet: sed ipsa sola inueniendi & iudicandi vias descriptas contineat; reliquas verò tum rerum tum verborum doctrinas in suis disciplinis & artibus distinctas ponat. Nec absurdius igitur videatur Verbi significationem & modificationem ex Grammatica & Rhetorica, quam rerum affectiones ex ipsarum disciplinis logico artificio considerari. Nam vt rerum, sic & verborum causſas, effecta partes & cætera argumenta dicimus & consideramus. Quare Logica & cætetarum artium præcepta constituit & earum exempla præceptorum accommodatione considerat, sicque præceptorum veritatem experitur. Materiæ subiectæ distinctarum artium propriæ & distinctæ sunt: sed obseruatio earum, artis conformatio, & porro accommodatio logicæ & rationis propria est.

Quæ

Quæ hîc affectionis ratio?

Vis arguendi. Notatio arguit rem nominatam & ipsum Nomen notatum; & rursus nomen notationem.

Da notationem è caussis.

Exempla. Primum exemplum hîc nudum est, ex Materia notæ Nominis materiato Homini seu effecto impositi. 2. E Enunciatum è naturali caussa & effecto; Terra, quod sua stet, Vesta nominata est. Sed & altera ignis à poëtis fi gitur.

Da ex effectis.

Primum est Enunc. ex notatione effecti & caussa no minata: Focus dictus est quod omnia foueat. 2. Enthym ex notatione effecti ad concludendam caussam nomin tam: Verres Siciliam euerrit: Ergo rectè Verres nomina tur, & hinc festa Verrea. Nam is Marcellea, diem Marce festum sustulerat, & Verrea substituerat. Itaque è ficta notatione Orator sales quæsiuit: cùm Verres sit propriè por cus non castratus.

Da è Subiectis.

Enthym. est ex notatione subiecti ad rei adiunctæ no men concludendum: Dea hæc circa cardinem versatur Ergo rectè Carna nominatur. Contractio est Carna pr Cardinia.

Da ex adiunctis.

Enthym. est ex notatione adiuncti ad subiecti nomen concludendum: Balbus & stupidus est: Ergo recte Bambalio nominatur.

Da ex dissentaneis.

Tria exempla nuda hîc ponuntur: quorum origo è dissentaneis ostenditur: Vis autem ipsa est è Consentaneis, sed dissentaneis declaratur. Vocant ἀντιφάσιν, quod res è dissentaneo nominetur.

Da ex Comparatis.

Exemplum etiam nudum est; quod Ouidius ita interpretatur. Consentanea autem rei vis sic Comparationis notatione ostenditur.

Quid postremo docetur?

Ex

Est vero vt.] Mutua affectionis reciprocatio hominim attingitur; quæ tamen hîc obſcurior: ea autem dulici enthymemate, ſic retrò viciſsim affectis commeantibus declaratur. *Reciprocatio.*

CAP. XXV. DE DISTRIbutione.

RElinquum eſt ex ortis aliundè argumentis, argumentũ diſtributionis & definitionis: in qua vtraque affectio reciprocationis eſt, illic partium omnium cum toto, hic definitionis cũ definito. Diſtributio eſt, cùm totũ in partes diſtribuitur. Totum eſt, quod continet partes. Pars eſt, quæ continetur a toto. Atque vt diſtinctio totius in partes, diſtributio: ſic collectio partium ad conſtituendum totum, inductio dicitur.

Diſtributio ſumitur ex argumentis toti quidem conſentaneis, inter ſe autem diſſentaneis. Itaque tantò accuratior erit, quantò partium & cum toto conſenſio, & inter ſe diſſenſio maior fuerit.

QVAEST. EXPLICAT.

Quæ Methodi deinceps ratio?

RElinquum eſt.] Trãſitio eſt imperfecta ad alterum genus ortorum argumentorum in Diſtributione & Definitione; quæ originem ſuam clarius oſtendunt, quia eorum ſpecies protinus loquuntur vnde ortæ ſint.

Quod commune de vtroque præceptum?

In qua vtraque affectio reciprocationis eſt, illic partium cum toto, hic definitionis cum definito.] Axioma generale de propria mutuæ affectionis reciprocatione ſeu arguendi viciſſitudine: quæ in his generibus perpetua eſt. Atque hinc etiam fructus ille proprietatis colligitur: *Ne quid deſit aut redundet*: vnde & vulgatæ Maximæ. *Quod commune Axioma alterius generis.*

Eſtne in reliquis generibus illa etiam accurata reciprocatio?

Nõ eſt in totis generibus, ſed vſpiam in quibuſdam ſpeciebus, vt in Forma cum Formato, Subiecto cum adiuncto *Reciprocatio in aliis.*

cto proprio & ferè in Relatis: vnde hinc etiam Enunciati necessarij differentiæ distinguuntur.

Quæ igitur vis & facultas vtriusque?

Vis & vsus. Quia vtrunque ex pluribus oritur, & necessariam reciprocationem habet, ideo omnem fere disciplinarum tractationem comprehẽdit, & principem in Methodo locum obtinet, vt qui in artibus definierit, distribuerit, & exẽplis illustrârit, nihil admodum videatur habere reliquum, præsertim si id legitimè & ordine fiat. Atque ideo quidã philosophi Definitionem & diuisionem quasi Dialecticæ præcipua quædam officia ad Thema simplex tractandum à generali Inuentione, sed non satis logicè, separarunt.

Quod primum de Distributione præceptum?

Quid Distributio? *Distributio est cum totum in partes distribuitur.*]Definitio à genere intellecto & Forma subiectis informata, quæ est facultas Totius Logici in partes diducendi.

Quæ appellatio & significatio?

Nomina. Aristoteli διαίρεσις Diuisio, aliquando αἵρεσις sectio, & μερισμὸς partitio, latinis commodè Distributio generatim nominatur, vt distinctio quælibet cuiusuis Totius, siue integri in essentiales partes aut vniuersalis in species essentiam totius participantes; siue denique Imaginarij seu modo quodam in Subiectas vel adiunctas quasi partes significetur. Hinc enim postea duo Distributionis genera distinguentur, vnum verum & primarium ex Consentaneis essentialibus; alterum Imaginarium & secundarium ex consentaneis modo quodam.

Arguendi affectio. *Quæ hic in arguendo affectio?*

Distributum totum arguit distributionem partium. Nã Distributio de partium ex toto Distinctione dicitur: ex quarum origine & affectione ad totum, etiam infra distinguetur, vt ex causis, vel effectis, &c. nominetur.

Quod secundum documentum?

Quid est totum? *Totum est quod continet partes.*]Definitio totius omnino generalis à forma; quæ est continere & comprehendere partes, vt ita de logico toto communiter intelligatur, siue illud

illud Primarium sit, cuius essentia vel ex partibus integrãtibus constet, vel partibus pariter communis singulis insit; siue Secundarium, quod ad partes non essentiæ constitutione; sed adiunctionis quadam consensione affectum est Semper enim Totum vel essentiæ, vel adiunctionis communione partes continet.

Quod tertium?

Pars est quæ continetur à toto.] Definitio partis etiam à forma relata; quæ est contineri à toto: ideoque similiter cuilibet primariæ vel secundariæ parti conuenit. *Quid pars?*

Quod quartum?

Atque vt distinctio totius, &c.] Primũ Axioma Distributionis ex superiore generali de vsu & nominibus reciprocationis in huius generis affectis argumentis. Distinctio enim & enumeratio partium ex toto proposito propriè *Distributio:* & rursus partium ad totum constituendum vel concludendam collectio *Inductio* nominatur. Inductio enim tantum argumentum est, non argumentationis species, cum non habeat singularem & propriam collocationem, ex qua necessaria conclusio efficiatur. *Quæ nomina affectorum?* *Inductio.*

Quod quintum?

Distributio sumitur, &c.] Secundum Axioma de Distributionis origine, & duplici affectione; vna Totius ad partes, altera partium inter ipsas. *Vnde oritur Distributio?*

Quod sextum?

Itaque tanto accuratior, &c.] Tertium Axioma seu consectarium præcedentis de perfectione & accuratione. Distributionis collatione originis explicatum: vnde Distributionis genera ratione fontium intelliguntur. *Quomodo perfectio indicatur?*

Quotuplex igitur Distributio?

Duplex: Alia est perfectior; alia imperfectior: seu, Alia Essentialis, alia Modo quodam.

Quæ perfectior?

Perfectior est Absoluta seu primaria ex argumentis absolute

ſolutè conſentaneis: in quibus vt partium cum Toto eſt arctiſsima conſenſio, ita & partium inter ipſas maxima diſſenſio.

Quæ imperfectior?

Imperfectior eſt modo quodam ſeu Secundaria & Imaginaria ex argumentis modo quodam conſentaneis, in quibus vt partium cum Toto Leuior eſt conſenſio, ita & inter ipſas minor eſt diſſenſio.

Quomodo partium diſſenſio diſtinguitur?

Diſſentaneorum generibus, minus enim Diuerſa quam Oppoſita, rurſus leuius Diſparata, quam Contraria; & denique remiſsius negantia quam affirmantia diſſentiunt, vt ſupra dictum.

In quot igitur partes abſolutiſs. Diſtributio fieri debet?

In duas præcipue contrarias affirmantes: Hæc enim eſt illa naturalis & antiquiſsimorum philoſophorum præſtantiſsima Dichotomia: quæ ſi binarius partium vel generum obtineri non poſsit, perfecto diuiſionis binario proximum numerum, binásque ſpecies pro duobus generibus ſumit.

Dichotomia.

CAP. XXVI. DE DISTRIBVT. ex cauſsis.

DIſtributio prima eſt ex abſolutè conſentaneis, cauſſis nempe & effectis.

Diſtributio ex cauſſis eſt, quando partes ſunt cauſſæ totius. Hic diſtributio integri in ſua membra præcipuè laudatur.

Integrum eſt totum, cui partes ſunt eſſentiales: Membrũ eſt pars integri. Sic grammatica in etymologiam & ſyntaxim: rhetorica in elocutionem & actionem, Dialectica in inuentionem & iudicium diuiditur. Ab his enim partibus artes illæ conſtituuntur. Hæc diſtributio principalis eſt, cùm rei longioris explicatio ſuſcipitur. 1. *Georg.*

Quid faciat lætas ſegetes, quo ſidere terram
Vertere Mecœnas, vlmíſque adiungere vites
Conueniat, quæ cura boum, quis cultus habendo
Sit pecori, atque apibus quanta experientia parcis,
Hinc canere incipiam. ——

Cic.

Cic. pro Mur. Intelligo (iudices) tres totius accusationis partes fuisse: & earum vnam in reprehensione vitæ, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus esse versatam. Quin etiam aliter tractatur hoc argumenti genus, vel à partibus ad totum, vel à toto ad partes. Catullus:

Quintia formosa est multis: mihi candida, longa,
Recta est: hæc ego sic singula confiteor.
Totum illud, formosa, nego: nam nulla venustas,
Nulla in tam magno est corpore mica salis,
Lesbia formosa est: quæ cùm pulcherrima tota est,
Tum omnibus vna omnes surripuit Veneres.

QVAESTIONES EXPLICAT.

Quod hic primum documentum?

Distributio prima est, &c.] Definitiò primi generis seu primariæ & perfectionis Distributionis à forma, quæ est origo absoluta; & Diuisio eiusdem in duas species ex parentum affectione distinctas. *Quæ prima Distributio?*

Quod secundum?

Distributio ex caussis, &c.] Definitio primæ speciei ex forma: quæ est affectio partium, nempe Caussarum ad Totum Effectum. *Quæ ex caussis?*

E quibus caussis oritur?

Ex omnibus quidem, quia tam latè patet, quam caussarũ Categoria: sed optimum & præstantissimum genus est, cum partes caussæ sunt internæ, & constituentes Totum; quod cum peculiare Nomen & maximum vsum habeat: eius & doctrina, & vsus hîc præcipue exponitur. *Totum integrum.*

Quod igitur illud est?

Totum Integrum; cuius partes Membra nominantur. Atque hoc illud est quod in Scholis Totum nominant.

Cur hîc eius doctrina collocatur, cum Distributio eius tantum videretur explicanda?

Cùm & sua natura sit symbolum caussarum, effectorúmque, siue vnam partem siue omnes ad Totum referas; & Totius natura ex omnibus partibus constet, vt perfecta partitio ad eius explicationem requiratur: recte eius doctrina

ctrina & vniuersus vsus hoc in loco collocatur, & coniunctè explicatur.

Quod primum eius documentum?

Quid Integrum?

Integrum est totum cui partes, &c.] Definitio Integri à genere & forma; quæ est essentiæ è partibus compactio. Est enim Totum integrum talis notio, quæ rei cuiúsque partes inter se compactas & compositas habet.

Quod secundum?

Quid Membrum?

Membrum est pars integri.] Definitio Membri à genere & forma; quæ est, essentiale esse integro, vel eius essentiam constituere.

Quomodo hæc symbola sint Caussarum & Effectorum?

Quia membra singula continent materiam Totius; ea vero coniuncta continent materiam & formam integri: & sic totum effectum, arguitur à partibus, vt causis; quod ideo accuratissimum Distributionis genus est.

Quomodo nominatim hæc Distributio appellatur?

Nomina.

Ἀνατομὴ, sectio, & μερισμὸς partitio, vt Distributio generis in species, Diuisio. Partitionem Rhetores etiam ἀνατακτικὴν nominant, de qua Hermogenes 3. de Inuent. Continet enim rerum, de quibus erimus dicturi, distributam expositionem, vt ait Cicero de Inuent.

Quæ præceptorum demonstratio?

Præcepta per inductionem illustrium exemplorum demonstrantur: quorum duplex tractatio & vsus distingui potest.

Quæ prior?

1. Tract.

Prior tractatio est ἀσυλλόγιστος per Enunciata, cum Totum & partes ita pariter enunciantur, vt ad Quæstionem probandam non adhibeantur.

Vbi huius vsus est?

Vsus.

Is omnino multiplex est in qualibet simplici Expositione, vel amplificatione, cum Totum vel ad omnes, vel ad vnam etiam partem, & vicissim refertur; sed præcipuus est in Partitionibus Artium, & aliorum præstantium Operum.

Quomodo

Quomodo in Artium partitione?

Cum artes in partes, ex quibus integrantur, Distribuuntur: vbi Dichotomia præcipue locum habet, vt hîc in vtribus exemplis apparet.

Quomodo in aliorum operum partitionibus?

Cum Poëtæ, Oratores, aut alij auctores totum Propositum in membra quæ ordine persequantur, partiuntur. Sic enim hæc principalis & primaria passim Distributio est, à principe argumentorum genere, id est, à caussis scientificis profecta.

Cedo hic primi exempli analysin.

Primum est Poëticum, nempe partitio Georgici operis quadripartita, in cultum agrorum, arborum, pecoris, & apum.

Cedo secundi.

Secundum est Oratorium, nempe partitio accusationis Murænæ in tres partes: quas Cicero eius patronus ordine persequens refellit.

Quæ altera tractatio?

Altera tractatio est Syllogistica, cum aut Totum aut pars tertium argumentum facit, ad Q. probandam. 2. Tractatio.

Quod est de ea præceptum?

Quinetiam aliter tractatur, &c.] Generatim tantum hîc vsus comprehenditur, exemplóque demonstratur. Nam cur firmamentis Maximarum non fulciatur, secunda parte dicetur.

Cedo analysin exempli.

Syllogistica collatio est de dissimili Quintiæ & Lesbiæ forma: Protasis negata vna parte essentiali, cæteris autem concessis negat totum:

Quintia est candida, longa, recta, sed non venusta. i. caret gratia & lepore sermonis & gestus. Ergo non prorsus formosa.

Anatopodosis ex omnibus partibus totum colligit, quarum Inductio breuiter sic comprehenditur: Lesbia omnes formæ partes habet. Ergo tota formosa est.

CAP. XXVII. DE DISTRIBVTIONE ex Effectis vbi de Genere & Specie.

Distributio ex effectis est, quando partes sunt effecta: vt in naui nautæ alij malos scandunt, alij perforos cursitant, alij sentinam exhaurium, gubernator autem clauum tenet puppi. Distributio generis in species hic excellit.

Genus est totum partibus essentiale: Species est pars generis. Sic animal genus hominis & bestiæ dicimus. Animal enim est totum, cuius essentia, nempe corporea, animata, sentiens, ad bestiam & hominem communiter attinet. Sic dicimus hominem & bestiã species animalis, quia partes sunt animali subiectæ, quæ animalis essentiam cõmunem habent: Sic dicimus hominem, genus hominum singulorum, & leonem singulorum leonum: contra verò singulos homines, species hominis, singulos leones, leonis.

Genus est generalissimum aut subalternum.

Species subalterna aut specialissima. Genus generalissimum, cuius nullum est genus, vt in Logica inuentione, Argumentum est genus generalissimum artificialium & inartificialium.

Subalternum genus, vt subalterna item species, quod species huius, illius autem genus est: vt caussa, species est argumenti absolutè consentanei, genus materiæ & formæ.

Species specialissima, quæ est individua in species alias, vt materia & forma singulares. Genus verò & species notæ sunt caussarum & effectorum: vt in animali est essentia corporea: quæ materia est ad species communiter attinens: tum facultas vitæ & sensus, quæ forma item communiter ad species spectat. Quare genus continet caussas, quæ communiter ad ipsius species attinent: contra itaque etiam species effecta generis sui continẽt. Hinc vniuersale est insigne ac præstabile, quia caussam declarat. Distributio generis in species valdè quidem excellit, sed difficilis est & rara inuentu.

Attamen illustrationis & exempli gratia adferemus, quod poterimus. Ouid. 1. Met. diuidit animal in quinque species, stellas, aues, bestias, pisces, homines: stellis animam tribuit, vt etiam Philosophi tribuere.

Neu regio foret vlla suis animalibus orba,
Astra tenent cæleste solum formæque deorum:

Cesserunt

Cesserunt nitidis habitandæ piscibus vndæ:
Terra feras cepit, volucres agitabilis aër.
Sanctius his animal mentisque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset,
Natus homo est. ——

Sic Cicer. 1. Offic. Virtutem diuidit in species quatuor, prudentiam, iusticiam, fortitudinem, temperantiam.

Sed omne quod honestum est, id quatuor partium oritur ex aliqua: aut enim in perspicientia veri solertiaq; versatur, aut in societate hominum tuenda, tribuendoq; suum vnicuique, & rerũ contractarum fide, aut in animi excelsi atque inuicti magnitudine ac robore, aut in omnibus, quæ fiunt, quæque dicuntur, ordine & modo, in quo inest modestia & temperantia.

Distributio generis in formas specierum eadem est, quia formæ cum genere constituunt suas species: vt animalium aliud loquens aliud mutum.

Genus & species non solum tractantur hac simplici diuisionis formula, sed etiam separatim alterum ex altero. Pro Archia. Ac ne quis à nobis hoc ita dici fortè miretur, quod alia quædam in hoc facultas sit ingenij, atque hæc dicendi ratio aut disciplina: nec nos quidem huic cuncti studio penitus vnquam dediti fuimus. Etenim omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, & quasi cognatione quãdam inter se continentur. Ars est genus: poetica & eloquentia sunt species. Contra, genus tractatur per species, vt 4. de Trist.

Materiámque tuis tristem virtutibus imple:
Ardua per præceps gloria vadit iter.
Hectora quis nosset, fœlix si Troia fuisset?
Publica virtutis per mala facta via est:
Ars tua Tiphy iacet, si non sit in æquore fluctus:
Si valeant homines, ars tua, Phœbe, iacet.
Quæ latet, ínque bonis cessat non cognita rebus
Apparet virtus, arguitúrque malis.

Exempla igitur specialia suo generi accommodata sunt huius loci 7. ad Attic. Vrbem tu relinquas? ergo Idem si Galli venirent? Non est (inquit) in parietibus Resp. at in aris & focis: fecit idem Themistocles: fluctum enim totius barbariæ ferre vrbs vna non poterat. At idem Pericles non fecit annum ferè post

quinquagesimum præter mœnia nil teneret: nostri olim, urbe reliqua capta, arcem tamen retinuerunt.

QVÆSTIONES EXPLICAT.

Quod hic proprium præceptum?

Quæ dist. ex effectis?

Distributio ex effectis est, quando partes sunt effecta.] Definitio alterius speciei à forma, quæ est affectio partium, quæ Effecta, ad Totum, quæ Causla.

Ex quibus Effectis oritur?

Ex quibuslibet, caducis vel æternis: quia tam latè patet quàm Effectorum Topicum: atáque hoc caducorum Effectorum vulgare exemplum de nauis gubernatione proponitur, quo vt simile Cato refellit senectutis reprehensores. Attamen optimum & præstantissimum hîc distributionis genus est, cum partes sunt, ideæ seu expressæ Totius imagines: quod peculiare orti argumenti genus est & peculiaribus vocabulis nominatur: cuius ideo & doctrina & vniuersus vsus hîc explicatur.

Quod igitur illud est?

Genus & Species prædicabilia.

Genus quod totum vniuersale dicitur, & Species illius ideæ & expressæ formæ.

Cur hic eius doctrina ponitur?

Quia Genus est symbolum communium Caussarum, & Species sunt symbola effectorum, quæ è communibus caussis exstiterunt: cuius doctrina cum orta sit, & absque Distributione intelligi non possit, hic commodissime explicatur.

DE GENERE ET SPECIE.

Quod hic primum præceptum?

Quid Genus?

Genus est totum partib. essentiale.] Definitio à genere & formâ; quæ est communio essentiæ ad species æqualiter attinens. Nam ita sui similes communione quadam, formis autem differentes partes complectitur.

Quod secundum?

Quid Species?

Species est pars generis.] Definitio speciei à genere & forma, quæ est participatio communionis illius. Sic enim est notio angustior, quæ à reliquis sua forma distincta, cum

ijs

ijs generis communione continetur. In singulis speciebus pariter tantum ineſt, quantum generis communio ſignificat: deinde ſuis formis diſtinguuntur.

Quod igitur intereſt inter Totum Integrum, & Totum vniuerſale ſeu Genus & eorum partes?

Eorum formæ ſeu differentiæ prorſus aduerſæ ſunt: Totum Integrum vt Effectum è ſuis partibus, vt cauſsis conſtituentibus conſtat: Genus eſt communio cauſarum è quibus pariter ſpecies conſtant. Totum Integrum accipit eſſentiam è membris: Totum vniuerſale ſeu genus eſſentiam ſpeciebus impertit. *Diſcrimen Totius integri & Generis.*

Membra conſtituunt Totum integrum: Species conſtituuntur à genere.

Totum igitur Integrum nec ſingulis partibus ineſt, nec eius nomen ſingulis membris conuenit: Totum vniuerſalis ſingulis ſpeciebus ineſt, & eius nomen ſingulis conuenit.

Quomodo definitiones Generis & ſpeciei demonſtrantur?

Exemplis quibuſdam nudis è phyſicarum rerum gradibus.

Quod igitur hîc primum Mutuæ demonſtrationis exemplum?

Animal Genus, Homo, Beſtiáque ſpecies.

Quomodo explicatur?

Collatis & accommodat, istum Generis & ſpeciei definitionibus logicis, tum animalis definitione phyſica, mutua fit explicatio & demõſtratio. Nam cum Animal ſit notio cõmunis ſubſtantiæ corporeæ, vita & ſenſibus præditæ, quæ tam in Beſtia quam homine deprehenditur: illud Genus; hæ ſpecies eiuſdem nominantur: illud his eſſentiale. i. eſſentiam tribuere, ſeu cõmunes eſſentiæ cauſſas continere: hæ eſſentiam illius pariter participare, inter ſe autem ſuis formis diſtingui dicuntur.

Quod ſecundum exemplum?

Hoc duplex ex proximo gradu ſumptum eſt, nempe, Homo & Leo genera; Singuli homines & Leones ſpecies. Proxima quidem genera erant Homo & Beſtia; ſed vt

singulas individuas species æquaret, medium genus in altero ordine transilijt.

Cur Hominem & Leonem Genera nominas singulorum Hominum & Leonum?

Quia eorum essentiæ (vt hominis substantia corporea, animata, sentiens, ratione prædita, &c.) sunt singulis cõmunes; qui etiam suis formis etsi obscuris reuera differunt. Vide partem 2.

Quod tertium præceptum?

Quottuplex Genus?

Genus est Generalissimum aut subalternum.] Dichotomia generis ex eius duplici communione ad superiores rerum gradus accommodata. Hoc enim quasi priuilegium huic argumento tribuitur, etsi alioqui ceterorum commune videatur.

Quod quartum?

Quottuplex Species?

Species est subalterna aut specialissima.] Dichotomia speciei ex eius duplici participatione ad inferiores rerũ gradus accommodata. Ex hoc naturali fonte Philosophi Rerum, vel vt alij volunt verborum, summa genera, per media, & differentias in infimas species distribuendo, deducta constituerunt; quas Categorias nominant, id est, summa & prima genera rerum vel dictionum, cui ceteræ omnes ita subiectæ ac substratæ essent vt de omnibus alijs & quidem summa de inter medijs, & hæc de inferioribus dicerentur; de ipsis autem summis nihil aliud dici ac pronuntiari posset. Sed rectius res ipsæ in suis disciplinis, argumẽta generatim in Inuentione explicantur.

Categoriæ.

Quod quintum?

Quod generalissimum?

Genus generalissimum cuius nullum est genus.] Definitio à forma; quæ est extrema & summa communio, cui omnia in suo gradu ita substrata & subiecta sunt, vt ipsa de ijs, quorum essentiam communem complectitur dicatur, de ipsa autem nihil dici aut pronuntiari possit.

Quomodo demonstratur?

Exemplo Logico nudo: Argumentum enim in Inuentione

tione illud ſummum eſt, quod ſua communione cætera omnia argumentorum genera complectitur. Néque enim Inuentio eſt argumentum, ſed doctrina argumenti.

Quod ſextum?

Subalternum genus, vt ſubalterna item ſpecies, quod ſpecies huius, illius autem genus eſt.] Definitio ſubalternorum à forma; quæ eſt duplex affectio, nempe partis ad ſuperius, & totius ad inferius. *Quod Subalternum?*

Quo exemplo declaratur?

Logico nudo ex Argumenti diſtributione.

Quod ſeptimum?

Species ſpecialiſſima, quæ indiuidua in ſpecies alias.] Definitio à forma; quæ eſt infima partis proprietas, cuius nulla ad aliud inferius communio. *Quæ ſpecialiſſima?*

Quale hic exemplum?

Etiam nudum logicum è cauſſarum generibus, nempe ſingulari exempla Efficientis, Materiæ, &c. Nam Efficiens, Materia ceteræque cauſſæ aliquid adhuc exemplis commune habent: ſed exempla nihil; ideoque hæc infima ſunt.

Quod octauum?

Genus verò & ſpecies, &c.] Origo & deriuatio huius orti argumẽti docetur, quod ſymbolũ eſt cauſarũ & effectorum; quo illa nouo nomine nouáque via inueniendi repreſentatur, & quidem communione quadam & coniunctione continentur. Genus enim quaſi vno communionis faſciculo cauſas ſingulis ſpeciebus communes vt Materiam ex qua & Formam per quam ſingulæ conſtant, continet, è quibus Efficiens & finis facili conſideratione eruuntur. *Vnde oriuntur?*

Quomodo demonſtratur?

Eodem nudo exemplo phyſico, quo ſupra definitiones demonſtratæ ſunt. Animal enim cogitatione à ſpeciebus abſtractum nihil eſt; ſed in phyſicis communis notio eſt, qua breuiter ſpecierum communis natura eſſentiáq, com-

prehenditur; ipse autem species deinde suis formis distinctæ sunt.

Quid igitur animalis significatione continetur?

Substantia corporea (quæ Materia hominis & bestiæ) tum facultas vitæ & sensus (quæ communis Forma, qua vtraque species ab inanimatis differt communiter) Huc iam accedit in homine λόγος ratio, qua à bestia, quæ ἀλόγος rationis expers est, differt: vnde Cicero plus esse in specie quã in genere affirmauit.

Quid hic additur?

Quæ generis natura & præstantia?

Quare genus.] Consectarium originis de affectionis mutuæ reciprocatione; & de præstãtia ex Aristotelis etiam auctoritate: qui lib. 1. Post. cap. 24. τὸ καθόλου τίμιον ὅτι καθόλου τὸ αἴτιον. i. vniuersale honorabile, quia caussam declaret, appellat. Hinc idem cap. 20. illud præstare speciali confirmat, quia αἰτιώτερον, ἁπλούστερον, ἀρχικώτερον. i. magis caussa & simplex & principio similius sit; ideoque ἐπιστημονικώτερον scientiæ aptius.

Quomodo deinceps Vsus declaratur?

Inductione illustrium exemplorum: quæ duplici tractatione distingui possunt.

Quæ prior Tractatio?

1. *Tract.* Prior est ἀσυλλόγιστος per Enunciata, cùm Genus & species ita simul enunciantur vt ad quæstionem probandam non adhibeantur.

Sed vbi huius vsus est?

Vsus. Is omnino multiplex est in declarando, exponendo, simpliciter significando, & amplificando cùm Genus vel cum omnibus speciebus, vel cum quibusdam, aut etiam vna cõiungitur: sed præcipuus est in Diuisione propositi generis, cum præstantes auctores Genus, ad tractandum propositum, in species diuidunt, quas deinceps ordine explicant; de cuius loco vide Methodum.

Quomodo igitur hæc proponitur?

Initio est admonitio tum de præstantia propter caussatum vim, tum de difficultate & raritate: deinde exemplis declara-

declaratur. Nam cùm διχοτομία propter contrariorum affirmatorum inuentionem sit difficilis; huc etiam difficultas inueniendarum specierum genere inuento accedit. Nã tametsi species quædam pateant; attamen proximæ illæ duæ, quæ differentijs aduersis διχοτομίαν constituunt, rarissimæ sunt: quin in postremis generibus διχοτομία planè impossibilis est, neque per naturam vlla est; nisi tum fortè dicatur fuisse, cùm Adamus & Eua soli homines essent, pariáque essent specierum talia in singulis generibus.

Quod hic primum exemplum?

Diuisio est poetica Generis in species, qua simpliciter Animalium creationem declarat, sed non admodum accurata Dichotomia quædam sic fieri potuisset: Animal est aut Rationale aut Irrationale. Rationale aut Deus, aut Homo (intellige autem sic ethnicos & paganos potuisse diuidere, cum Platò & Aristoteles etiam Deum Animal nominent) Irrationale porrò aut Piscis aut animans terrestris, & hæc aut bestia aut auis, &c.

Reiexe exemplum.

Genus, Animal, initio proponitur, & fine subiectóque generali illustratur; deinde species subiectis proprijs illustratæ enumerantur: quare etiam est diuisio Adiuncti in subiecta.

Quod secundum exemplum?

Diuisio ethica, Virtutis in suas species, quarum loco definitiones collocantur, & vltima nominatim exprimitur.

Quid deinceps sequitur?

Quid valet diuisio in formas?

Distributio generis.] Obseruatio de propriorum affectorum (quæ conuertuntur, nempe Formæ & rei formatæ) permutatione. Nam cùm Generis natura sit in singulis speciebus; & species suis tantum formis propriísque notis discrepent: certè forma generi iuncta speciem facit. Declaratur vnico exemplo physico.

Qua altera tractatio?

Altera

1. Tract. 1. A genere.

Altera Tractatio est Syllogistica, cùm aut Genus aut Species tertium argumentum facit ad Q. concludendam: estque hîc prior Modus à Genere; ex quo vniuersè affirmato, omnes species concluduntur, simpliciter non certa aliqua; negato autem omnes negantur.

Cedo exempli analysin.

Prolepsis est Ciceronis de caussa defensionis Archiæ, qui cum ciuis Romanus factus fuisset, eo iure depellebatur: Obiectio igitur est ex diuersis vtriusque adiunctis: Tu es Orator, Archias poëta: Ergo non debes illi fructum eloquentiæ. Solutio à genere vniuersè affirmato: Omnes artes mutuum fructum præbent. Poetica & eloquentia sunt artes. Ergo, &c. Ramus deinceps nuda argumenta indicat.

Quis alter Modus?

2. A Specie.

A specie ad genus concludendum: qua etiam vna affirmata genus affirmatur; at vna negata non protinus genus negatur.

Cedo exempli analysin.

Hortatur Ouidius vxorem ad tolerantiam in rebus aduersis, ex earum adiunctis, quòd virtus illis probetur: idq; trium specierum inductione confirmat: Fortitudo militaris, Prudentia nautica, & medica rebus aduersis probatur. Ergo omnis virtus: propterea̓que tua etiam sic explorabitur. Consequens cum consectario præcedit. Inductio specierum sequitur: in qua Synecdochicῶs infimæ species pro medijs collocantur. Consequens tandem contrariè clarius exponitur.

Quid deinceps sequitur?

Exempla.

Exempla igitur specialia, &c.] Consectarium seu Appendix de Exemplis quasi peculiari specierum modo & vsu. Exemplorum enim maxima in omnem partem vis est; quorum obseruatione & inductione omnes artes constitutæ & exploratæ sunt, earúmque veritas & vtilitas demonstrata est.

Cedo exempli analysin.

Dialogismus est Ciceronis & Pompeij; vbi vterque suam sententiam exemplis probat:

Cic.

Cic. Romani vrbem non deseruerunt Gallorum aduentu. Ergo nec Pompeius deseret Cæsaris aduentu.

Pomp. Themistocles Athenas deseruit aduentu Xerxis cũ infinita multitudine equitum & peditum. Ergo & mihi idem licet.

Cic. At Pericles Athenas non reliquit, & nostri capta vrbe arcem tenuerunt. Ergo non deserenda.

CAP. XXVIII. DE DISTRIBVTIONE è Subiectis.

RElIqua distributio est quodammodo consentaneorum, vt subiectorum & adiunctorum.

Distributio è subiectis est, cùm partes sunt subiecta, vt apud Catul.

Virginitas non tota tua est: ex parte parentum est,
Tertia pars matri data, pars data tertia patri:
Tertia sola tua est noli pugnare duobus,
Qui genero sua iura simul cum dote dederunt.

Sic Cic. 5. Tuscul. Sint enim tria genera bonorum, vt iam à laqueis Stoicorum, quibus vsum me pluribus quàm soleo, intelligo, recedamus. Sint sanè illa genera bonorum, dum corporis & externa iaceant humi, & tantummodo, quia sumenda sunt, appellentur bona. Alia autem diuina illa longè late q; se pandant, cælumq; contingant, vt ea qui adeptus sit, cur eum beatum: modò, & non beatissimum dixerim.

QVAEST. EXPLICAT.

Quid hîc primo loco docetur?

RElIqua, &c. IMPERFECTIOR seu Secundaria Distributio ex suis fontibus in duas species distinguitur. Hîc autem nec Totum nec partes verè essentiæ affectione, sed imitatione quadam & enumerationis ratione dicuntur. *Imperfectior.*

Quod proprium prioris præceptum?

Distributio è Subiectis est.] Def. à forma: quæ est affectio partium *Quæ dist. è subiectis.*

partium nempe subiectorum, ad Totum Adiunctum. Sic enim multa subiecta ad vnum Adiunctum quasi enumerationis caput referuntur: quanquam è Subiectis distincta essentiales etiam partes constituuntur.

Cedo primi exempli explicationem?

Syllogismus est ad Iuliam, ne Manlio sit refractaria, ex subiectis Virginitatis distributis: Si virginitas partim parentum, partim tua; non eris refractaria. Huius ratio in postremo carmine ipsius loco est. At primum. Ergo, &c. Ass. præcedit. Compl. Noli. Virginitas in virgine inest, ad parentes attinet.

Cedo secundi.

Enunciatum est distributionis Bonorum è subiectis, Animo, Corpore, et fortuna, quæ diuersorum distinctione illustratur: Sint tria genera bonorum, si modò quæ animi sunt longè antecellere intelligantur.

CAP. XXIX. DE DISTRIbutione ex adiunctis.

DIstributio ex adiunctis est, quando partes sunt adiunctæ vt hominum alij sani, alij ægri, alij diuites, alij pauperes. Sic Virg. 1. Georg. mundum diuidit in quinque partes, mediam toridam, duas extremas frigidas, & reliquas duas temperatas.

Quinque tenent cœlum zonæ, quarum vna coruſco
Semper Sole rubens, et tortida ſemper ab igni:
Quam circum extremæ dextra læuáque trahuntur
Cærulea glacie concretæ, atque imbribus atris:
Has inter mediámque duæ mortalibus ægris
Munere conceſſæ diuûm.---

Cæſar 1. bell. Gal. Gallia est omnis diuisa in partes tres, quarum vnam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam qui ipsorum lingua Celtæ, nostra Galli appellantur.

QVAEST. EXPLICAT.

Quod alterius speciei documentum?

Quæ ex adiunctis?

DIstributio ex adiunctis &c.] Def à forma; quæ est partium adiunctarum affectio ad Totum subiectum. Sic enim

enim multa adiuncta vnius subiecti enumerantur.

Cedo primum exemplum?

Enunciatum est ex Hominum (subiecti) binis contrarijs adiunctis, hæc enim hominis adiuncta inter se contraria sunt.

Explicato secundum.

Enunciatum etiam est è subiecto toto, & adiuncto generatim comprehenso, quod Partitione vniuersæ terræ in quinque partes cæli totidem partibus respondentes ex adiunctis qualitatibus seu aëris affectionibus vel minus frigidis duabus aut æstuante vna, vel temperatis duabus, explicatur. Zonæ autem metaphoricè nominantur fictitij circuli, quibus partes illæ distinctæ, atque ab adiunctis aeris affectionibus, torrida, frigida ad septentrionem, frigida ad meridiem, temperata nostra, temperata antipodum appellatæ sunt. *Confer. 1. Metamor. Ouid.*

Explicato tertium.

Tertium est Enunciatum distributæ subiectæ Regionis in adiunctos incolas: Gallia totum, Belgæ, Aquitani, Celtæ partes.

CAP. XXX. DE DEFINITIONE.

Definitio est, cùm explicatur quid res sit: eaq; vicissim desinito argui potest. Definitio est perfecta aut imperfecta: Illa propriè definitio: hæc, descriptio dicitur.

Definitio perfecta, est definitio constans è solis caussis essentiam constituentibus: quales caussæ genere & forma comprehẽdunt r. Atque hoc modo definitur homo, animal rationale: Nempe genere (animal) intelligimus (vt dictum est) essentiam corpoream plenam vitæ & sensus, quæ materies hominis est, & pars formæ: cum qua si addas (rationale) totam formam hominis comprehendes, vitæ, sensus, rationis faculiate. Itaque perfecta definitio nihil aliud est, quàm vniuersale symbolum caussarum essentiam rei & naturam constituentium. Tales definitiones sunt artium: Grammatica est ars bene loquendi: Rhetorica bene dicendi: Dialectica bene disserendi: Arithmetica bene numerandi: Geometria bene metiendi.

QVAEST. EXPLICAT.

Quod primum documentum de Definitione?

Quid Definitio?

Definitio est, cùm explicatur quid res sit.]Def à genere intellecto & communi cum Distributione (quod est argumentum ortum q. reale) & forma, quæ est propria rei explicatio & interpretatio ex primis & notioribus sumpta: è quibus rei natura orta & Composita intelligitur. Sic enim à Distributione distinguitur. Illic enim quottuplex, hîc quid est explicatur. Illic totum in partes distinguitur, hîc totum suis partibus componitur. Definitio (ait Cicero) est Oratio, quæ id quod definitur explicat quid sit. Et alibi, Oratio quæ quid sit id de quo agitur explicat quàm breuissimè. Item, Oratio quæ complicatam animi notionem euoluit. Item, quæ inuolutæ rei notionem aperit. Item, quæ quasi inuolutum euoluit id de quo quæritur. Itẽ, quæ inuolutam animi notionem explicat. Item, quasi patefactio rerum opertarum, cùm quid quidque sit aperitur. Item, quæ aperit notionem nostram quam habemus de re definienda tectam atque inuolutam. Itaque sæpe ab Aristotele dicuntur omnes scientiæ ex Definitione tanquam principe fonte oriri. Vide Methodum. Ergo huius Topici tanta amplitudo & præstantia est, vt principatum dicatur obtinere.

Quæ Vocabuli ratio & significatio?

Significatio.

Definire est definitione circumscribere et explicare aliquid. Circumscribere et definire aliquid. Definire, Complectíque aliquid. Breuiter illustrare verbísque definire, quasi finibus et cancellis circumscribere, vt à reliquorum communitate disiungatur, et proprium efficiatur. Definitio græcè, ὅρος, ὁρισμός, ὁριστικὸς λόγος; et vocabula vt antea. Sectio diuisio geometrica sunt, et huc translata: vnde penè intelligimus, quæ hîc eorum vis et notio, vt Definitio tanquam perimetro comprehendat; Distributio veluti Diametro diuidat.

Quod secundum præceptum?

Eaq

Quomodo arguitur definitio?

Eaq; vicissim definito argui potest.] Axioma de mutua affectione, reciprocatione & vi arguendi. Vera enim perfectáque imprimis definitio sola veram propriámque reciprocationem & conuersionem recipit, vt etiam suprà ex generalibus axiomatis intelligitur.

Quæ igitur affectionis vis?

Definitio arguit Definitum, & vicissim à definito arguitur.

Quæ Definitionis requisita?

Ea tria vulgò numerantur, vt sit dilucida, breuis & propria: quæ non habent peculiarem explicationem, quod tum ex generali Axiomate de Reciprocatione intelligantur, tum duo prima communia sint cum reliquis argumẽtis omnibus, vltimum cum Distributione.

Quod tertium præceptum?

Quotuplex Definitio?

Definitio est perfecta vel imperfecta: Illa propriè Definitio, hæc descriptio dicitur] Diuisio Definitionis; & vtriusq; speciei nomina. Sic Aristoteli alia ἄμεσοι, immediata & διάτι, quæ essentialibus argumentis, alia ἔμμεσοι mediata, & ὅτι, quæ è cæteris etiam constet, dicitur.

Quod Primum de Perfecta præceptum?

Quæ Perfecta?

Definitio perfecta, &c.] Defi. perf. à genere & forma: quæ est propria affectio causarum essentialium: quæ hîc nominatim duobus argumentis, vno orto & communi, altero primo & cuiusque rei proprio indicantur. Hinc Aristoteli λόγος ὅτιλῶν διάτι, καὶ ἀρχή, ratio declarans propter quid, & principium: Hinc συνώνυμος vulgò Essentialis & Latinè solida nominatur: & à Boetio, quæ docet quid res, & quæ docet Causam cur res sit, eadem dicitur. Nosse enim quid sit & cur res sit, idem sunt.

Definitionis igitur conficiendæ quæ ratio & quæ via?

Genus primum quærendum est, quo communes specierum causæ continentur; deinde propria forma, qua species definita à cæteris distinguatur. Attamen si nomen generis desit, communio intellecta, speciebus distinguatur, vel re-

motius genus ſumatur: ſupremum autem genus ſola forma definitur. Quin formæ etiam incognitæ loco, propria officia & adiuncta ſumuntur: quanquam ſic magis efficiatur Deſcriptio. Sic Cicero: Non dubium eſt quin Definitio genere declaretur, & proprietate quadam, aut etiam cõmunium frequentia (id eſt multitudine) ex quibus proprium quid ſit eluceat. Atque ita quæcunque ab alijs copioſe hîc præcipiuntur, ea ab Ramo breuius, & ſuccinctius, & vſui aptius comprehenduntur.

Quibus exemplis præceptum demonſtratur?

Primo nudo phyſico, quod ſic Enunciatur; Homo eſt animal rationale: & cauſſarum, in Genere (Animal) & forma (Ratione) demonſtratione explicatur.

Quod ſecundum documentum?

Itaque perfecta Definitio, &c.] Conſectarium Axiomaticum de Origine vi & proprietate Definitionis. Nam definitio rei vniuerſæ cauſſas tanquam in faſciculo intra tranſennas comprehenſas & conuolutas continet.

Quæ deinceps exempla?

Secundò quinque artium definitiones ad præceptorum demonſtrationem proponuntur: vbi genus communes cauſſas, materiam, formam & finem ſignificat, deinde formæ propriæ, in quibus coniunctus finis latet, nominatim exprimuntur.

CAP. XXXI. DE DESCRIPTIONE.

DEſcriptio eſt definitio ex alijs etiam argumentis rem definiens: vt, Homo eſt animal mortale, capax diſciplinæ. Hic cũ aliqua cauſſa miſcetur communis itemq; propria circumſtantia. Atque hæc ſuccincta breuitas non eſt in hac ſpecie perpetua, ſed ſæpe illuſtriorem & magnificentiorem explicationem deſiderat. Sic gloria deſcribitur in Miloniana: Sed tamen ex omnibus præmijs virtutis, ſi eſſet habenda ratio præmiorum, amplißimum eſſe præmium gloriam hanc vnam, quæ breuitatem vitæ poſteritatis memoria conſolaretur, quæ efficeret vt abſentes adeſſemus, mortui viueremus: hanc denique eſſe, cuius gradibus etiam homines in cælum viderentur aſcendere. Sic 4. Aeneid. fama deſcribi-

tur

tur.

Extemplò Libyæ magnas it fama per vrbes,
Fama malum, quo non aliud velocius vllum,
Mobilitate viget, virésque acquirit eundo,
Parua metu primo, mox sese attollit in auras,
Ingreditúrque solo, & caput inter nubila condit:
Illam terra parens ira irritata Deorum
Extremam, vt perhibent, Cœo Enceladóque sororem
Progenuit, pedibus celerem, & pernicibus alis:
Monstrum horrendum, ingens, cui quot sunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi subter (mirabile dictu)
Tot linguæ, totidem ora sonant, tot subrigit aures.
Nocte volat cœli medio, terræque per vmbram
Stridens, nec dulci declinat lumina somno:
Luce sedet custos, aut summi culmine tecti,
Turribus aut altis, & magnas territat vrbes:
Tam ficti prauíque tenax, quàm nuncia veri.

Tales sunt descriptiones plantarum, animalium in Physicis: item fluminum, montium, vrbium, in Geographis & historicis.

QVAEST. EXPLICAT.

Quod Descriptionis præceptum?

Que Descriptio?

DEscriptio est *Definitio ex alijs etiam argumentis rem definiens.*] Def. Des. à genere & forma; quæ est quorumlibet argumentorum libertas & licentia, qua à perfecta differt. Descriptio enim, vel inopiæ vel copiæ & iucunditatis causſa cum causis alia argumenta coniungit, vel alia tantum adhibet. Hinc Cicero in part. Sed quoniam de proprijs oritur plerunque magna dissensio, definiendum sæpe est ex contrarijs, sæpe etiam ex dissimilibus, sæpe ex paribus.

Quomodo ab alijs nominatur?

Nomina.

Quoniam non solidam rei naturam ex genere & forma, sed extrinsecus etiam notas ipsius demonstrat: à Platone in Theæteto σκιαγραφὴ vel σκιαγράφημα, à Rhetoribꝰ ἔκφρασις, à Porphyrio ὑπογραφὴ, Ciceroni in Topicis, παραγραφὴ,

alijs τύπος, Boetio Allusio nominatur, hoc est adumbrata & minus propria Definitio.

Quæ prima præcepti demonstratio?

Per exemplum illud Physicum iteratum & explicatum. Nam in genere (Animal) sunt communes causſæ; mortale est adiunctum commune, capax disciplinæ, proprium.

Quæ secunda?

Per illustriora & magnificentiora exempla Oratorum, Poetarum, & cæterorum auctorum: quæ initio Admonitione de hac copia illustrantur; vbi tacita Diuisio sed in Arte non necessaria, Descriptionem aliam esse Breuiorē, aliam longiorem. Nam ridiculum esset præceptum de succinctā breuitate, cùm satis sit docere, quibus argumentis & quomodo conficienda sit definitio.

Descriptio Breuior. Longior.

Quale hic Oratorium exemplum est?

Syllogismus à Descriptione ex genere, effectis & adiunctis.

Gloria est præmium virtutis, longam memoriam & perpetuam vitam concilians & in cælum extollens, &c. Ergo gloria, vt amplissimum præmium, non est contemnenda. Consequens præcedit, et est Correctio quædam superioris sententiæ. Viros fortes contentos esse conscientia rectè factorum; Sed tamen, etc.

Quale poeticum?

Est delectationis et amplificationis Enunciatis collocatum. Sic enim poeta propositam sententiam (Fama protinus per vniuersam Africam diuulgauit, Didonem occasione venationis et ortæ tempestatis cum Aenea in antrum descendisse) longiore descriptione antecedentis partis (Famæ) illustrat et amplificat.

Da Analysin exempli.

Extemplo Lybiæ] Proposita Sententia hic continetur, in qua est Res descripta, Fama.

Malum quo non] Descriptio his argumentis ordine efficitur: Primo à genere, malum: ex adiuncto minoribus et effecto illustrato, quod velox, nec quicquam velocius, quod vigeat mobilitate: 3. ab alijs adiunctis, parua, magna: 4. ex

ex effectis cum ſubiectis, ingredi ſolo, caput inter nubila condere: 5. ex efficiente cum Relatis, matre, terra, & fratribus: 6. ex adiunctis cum ſubiectis partibus: 7. ex aliis adiunctis cum genere quodam, monſtrum, &c. 8. ex partibus comparatis, oculis, linguis, auribus: 9. ex effectis cum tempore & loco: 10. Ex adiuncto, quia inſomnis: 11. ex adiunctis paribus.

Qualia cæterorum auctorum?

Poſtremò generatim & nudè phyſicorum, Geographorum, Hiſtoricorum & ſic omnium auctorum deſcriptiones indicantur. Hinc enim χρονογραφία temporum, χωρογραφία regionum, τοπογραφία loci, τοποθεσία loci ficta, & προσωπογραφία perſonæ deſcriptio proficiſcitur. vide partem tertiam.

CAP. XXXII. DE TESTIMONIO diuino.

EXpoſito artificiali argumento ſequitur inartificiale. Argumentum inartificiale eſt, quod non ſua natura, ſed aſſumpta artificialis alicuius argumenti vi arguit. Itaque cum exquiſita rerum veritas ſubtilius exquiritur, perexiguam vim probationis habet. In ciuilibus autem & humanis rebus plerunque hoc argumentum præcipuam fidem è moribus arguentis efficit, ſi prudentia, virtus & beneuolentia adfuerint. Id vno nomine teſtimonium dicitur: eſtq; diuinum vel humanum.

In diuinis teſtimonijs numerantur non ſolùm deorum oracula, ſed etiam reſponſa vatum & fatidicorum: quæ omnia 3. Cat. adhibentur.

Nam vt illa omittam (ait Orator) viſas nocturno tempore ab occidente faces, ardoremq; cæli, vt fulminum iactus, vt terræ motus, cæteraq;, quæ ita multa nobis Conſulibus facta ſunt, vt hæc quæ nunc fiunt, canere dij immortales viderentur. Deinde paulò pòſt. Quo quidem tempore, cùm Aruſpices ex tota Hetruria conueniſſent, cædes atque incendia, & legum interitum, & bellum ciuile ac domeſticum, & totius vrbis ac imperij occaſum appropinquare dixerunt, niſi Dij immortales omni ratione placati, ſuo numine propè fata illa flexiſſent. Tandem cùm dixiſſet vt ex Aruſpicum reſponſis ludi facti, & Iouis ſignum maius factum conuerſumq; ad orientem, tum ait: Illud verò, nónne ita præſens

est, vt nutu Iouis optimi maximi factũ esse videatur? vt cùm hodierno mane per forum, meo iussu, & conniurati & eorum indices in ædem Concordiæ ducerentur, eo ipso tempore signum statueretur, quo collocato atque ad vos Senatum q; conuerso, omnia & Senatus & vos (quæ erant contra salutem omnium cogitata) illustrata & patefacta vidistis: Breuius est illud Tibul.

Quod si vera canunt sacris oracula templis,
Hæc illi nostro nomine dicta refer:
Hoc tibi coniugium promittit Delius ipse
Fœlix, ac alium desine uelle virum.

QVAEST. EXPLICAT.

Quod hîc Methodi vinculum?

EXpositio.] Transitio perfecta à priore summo genere ad Alterum: quod ideo etiam commune logicúmq; argumentum est; quia etsi testimonium tantum Dei sit et hominis, tamen de quolibet ente et non ente esse possit.

Quod hîc primum præceptum?

Quod Inartificiale?

Argumentum Inartificiale est, &c.] Defi. Inartif. à forma dissentaneis adumbrata; quæ est nõ insita et propria, sed ab artificialibus assumpta et aduẽtitia vis arguẽdi, qua hoc genus subleuatur et demonstratur. Nam vt Etymologia nominis et priuatio, artificialis ostendit, ex sese artis huius. i. probationis et fidei nihil habet, nihílq, sua natura arguit.

Ergo non videtur esse Argumentum?

Imo argumentum quidem est aliquid arguens et declarans, sed vi & fide artificialium argumentorum illi adiunctorum, & opem ferentium. Veritas enim rerum artificialibus argumentis exquirenda est, cùm tenuissima sit testimoniorum humanorũ fides. Neq; enim quia aliquid affirmatum sit aut negatum, ideo erit aut non erit, sed quia ex caussis, effectis aliísque argumentis sit demonstratum.

Quid Aristoteles, Cicero & alij de his argumentis?

Nomina.

Aristoteles ἔντεχνους artificiales & ἀτέχνους inartificiales locos, vt Quintilianus interpretatur, opponit. Cicero Oratorio secundo, foris assumpta hæc argumẽta appellat, quæ nõ sua vi, sed extranea subleuãtur. In part. dicit modò Adsumpta, modo, sine arte, modo Remota: in Topicis has probationes

bationes ἀτέχνους artis expertes nominat. Sed illi etsi vim generatim intelligerent, tamen doctrinam & vsum ferè ad forum accommodarunt. Videm partem 2.

Quæ hìc arguendi affectio?

Testis vel testimonium arguit testatum, & vicissim ab eo arguitur. *Quæ vis in artificialis?*

Quod Secundum documentum?

Itaq, cũ exquisita, &c] Axioma de vi & vsu argumẽti Inartificialis distinctione diuersorũ subiectorũ expositũ: cuius Protasis est de rerũ artiũq; exquisita Veritate, Redditio de facto in ciuilib⁹ rebus adiũcto fidei argumẽto illustrata.

Quid igitur Valet in artium veritumque accurata demonstratione?

Parum admodum aut prorsus nihil, nisi artificialis fide stabiliatur. Neque enim huic aut illi propterea credendum in artibus & disciplinis, quod aliquid in ijs inuenisse aut constituisse narretur.

Quid valet in politicis & popularibus rebus, si de facto aliquo quæratur?

Hìc præcipua eius & ordinaria vis est, si veritatis caussis adiuuetur: vnde Quintilianus lib. 5. cap. 1. illud, quia per se arte careat, summis eloquentiæ viribus & alleuandũ plerumq; et re ellendum esse monet. Imo ipse etiã et Aristoteles peculiares locos eius confirmandi vel refellendi instituerunt sed omnia ad forum & iudicia accõmodarunt.

Sed quod illud adiunctum fidei faciendæ argumentum? Seu quæ Caussæ veritatis, quibus ei fides conciliatur?

Mores arguẽtis seu testãtis; qui in tribus adiunctis virtutibus, quæ Caussæ Veritatis, spectãtur, Prudẽtia, Virtute, & beneuolẽtia. Testis enim hic ornatus, fide dignus iudicatur.

Quod tertium præceptum?

Id vno nomine, &c.] Diuisio inartificalis ex efficientibus, initio proprio nomine illustrata. Solus enim Deus et homo testari possunt, vnde sic Cicero in part. distribuit. Cũ igitur Testimonij logica veráque genera nulla essent: Ramus hanc speciem distributionis secutus est, vt huius Categoriæ vsus fieret illustrior. *Quotuplex testimonium?*

Quod Primum Teſtimonij Genus?

Quod Diuinum?

DIVINVM quod à numine profectum Comparatione in quaſdam Species diſtinguitur, Oracula Deorum, & Reſponſa vatum ac fatidicorum. Vates à fando quaſi fates, diuinator, propheta: fatidicus autem qui fata & decreta deorum interpretatur. Nobis Chriſti fidem profitentibus ſacræ literæ ſunt diuina teſtimonia, quibus propter auctoritatem Dei fides adiungitur: in illo enim illæ virtutes ſummæ & fontes veritatis reconditi ſunt. Atque illarum veritas certiſsimis χρισμοῖς patefacta & ſtabilita eſt.

Quibus exemplis declarantur?

Primò Oratorio, quo illæ ſpecies ad gloriam detectæ coniurationis coniunguntur. Eſt autem Syllogiſmus à tribus diuinorum teſtimoniorum generibus: Meteora viſa; A ruſpices calamitatem prædixerunt; Iouis ſignum de cõiuratis indicium fecit. Ergo Deorum penè præſentium ope coniuratio detecta eſt. Conſequens apud Ciceronem præcedit, Quanquam hæc omnia &c. Antecedens hoc loco explicatur permiſto etiam vſpiam conſequente.

Quod deinceps exemplum?

Poëticum Syllogiſmo ab Oraculo Apollinis iudicatũ.

Si Apollo fœlix promittit coniugium: nõ cupiet Neæra alium virum.

Huius loco conditio de veritate ponitur.

At Apollo promittit Ergo, &c.

Sic enim Tibullus inſomnium ſuum de Neæra exponit.

CAP. XXXIII. DE TESTIMONIO humanæ legis & ſententiæ.

TEſtimonium humanum eſt commune aut proprium: commune, vt lex & illuſtris ſententia.

Legis autem & non ſcriptæ & ſcriptæ teſtimonium eſt pro Milone: Eſt enim (iudices) non ſcripta, ſed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam non docti, ſed facti: non inſtituti, ſed imbuti ſumus: vt ſi vita noſtra in aliquas inſidias,

fidias, si in vim, in tela aut latronum, aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis.

Et ibidem: Quòd si duodecim tabulæ nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem si se telo defenderit, interfici impunè voluerunt, quis est, qui quoquo modo quis interfectus sit, puniendum putet, cùm videat aliquando gladium nobis, ad occidendum hominem, ab ipsis porrigi legibus.

Sententiæ illustris sunt proverbia: vt Pares cum paribus facillimè congregantur. Sparsam nactus es, hanc exorna Sunt item dicta sapientum. Nosce teipsum. Ne quid nimis. Sponde, præsto est detrimentum.

Proprium testimonium est, vt Platonis illud, 1. ad Q. Frat. Atque ille quidem princeps ingenij & doctrinæ Plato, tum denique fore beatas Respublicas putavit, si aut docti & sapientes homines eas regere cœpissent, aut qui regerent, omne suum studium in doctrina ac sapientia collocassent.

Talia sunt in poetis 6. Aeneid.

Discite iustitiam moniti, & ne temnite diuos.

Sic Homerico illo versu:

Αἴας δ' ἐκ Σαλαμῖνος ἄγεν δυοκαίδεκα νῆας.

Aiax autem ex Salamine duxit duodecim naues.

Megarenses victi ab Atheniensibus. Vivorum testimonia sunt, non tantum cùm quæritur de fundo aut cæde, & eiusmodi negotio aliquo, sed etiam obligationis, confessionis, iurisiurandi testimonia sunt. Obligationis exemplum est, 5. Phi. Audebo etiam obligare fidem meam (P.C.) vobis populoq; Romano, quod profecto, cùm me nulla vis cogeret, facere non auderem, pertimescerem q; in re maximè periculosa opinionem temeritatis: Promitto, recipio, spondeo (P.C.) Cæsarem talem semper fore ciuem, qualis hodie sit, qualemq; eum maximè velle & optare debemus: Pignus autem obligatio quædam est, vt apud Virg. Eclog. 3.

Vis ergo inter nos quid possit vterque, vicissim
Experiamur? ego hanc vitulam (ne forte recuses,
Bis venit ad mulctram, binos alit vbere fœtus)
Depono: tu dic mecum quo pignore certes.

Confessio, est libera, vel expressa tormentis, quæ propriè quæstio dicitur.

Tale fuit argumentum contra Milonem, quod à Cicerone de-

videtur. Age verò, quæ erat aut qualis quæstio? Heus, vbi Ruscio? vbi Casca? Clodius insidias fecit Miloni? Fecit. Certa crux. Nullas fecit. Sperata libertas.

Huc etiam referri potest argumentum, quo vtimur, cùm affirmationis nostræ approbationem & experientiam proponimus. 4. Ver. Ecquis Voluatio, si sua sponte venisset, vnam libellam dedisset? Veniat nunc, experiatur: tecto recipiet nemo. Ter. Eunu.

—Fac periculum in literis,
Fac in Palæstra, fac in Musicis, quæ liberum
Scire æquum est adolescentem, solertem dabo.

3 Trist.

Quod magis vt liqueat, néue hoc ego fingere credar,
Ipse velim pœnas experiare meas.

Iusiurandum etiam testimonium est, quale est 6. Aeneid.

Per superos, et si qua fides tellure sub ima est,
Inuitus regina, tuo de littore cessi.

Reciprocratio hic obscurior est, vt quia testatum verum sit, testis sit etiam verax.

QVAESTIONES EXPLICAT.

Quod hic primum præceptum?

Quottuplex humanum?

Testimonium humanum est Cõmune aut Proprium.] Diuisio Humanii ab hominibus reddiri, à subiectis cõmunibus vel singularibus. Cõmunia faciunt argumenta generalia multarúmq; rerum cõmunia: Propria magis specialia hypothesibus et singularibus quęstionibus conuenientia.

Quod secundum?

Commune quottupl.

Commune vt lex & illustris sententia.] Diuisio communis in species ita generales.

Quale prior communis species?

Lex.

Lex, eáque duplex, scripta et non scripta: quæ vtraque deinceps exemplo Oratorio declaratur.

Quale primum?

Primum est Assumptio huius syllogismi à testimonio naturalis legis: Si per naturam licet expediendæ salutis caussa, latronem vel hostem occidere: certè non omnis cædes nefaria. At licet. Ergo. Nota quam venuste dissenta-

neis

neis & orbe nnmeroso exornetur: Sic autem Cicero aduersarios refutabat, qui ex Senatusconsulto simpliciter asseuerabant, Non fas esse eum lucem intueri, qui à se hominem occisum fateretur.

Quale secundum?

Secundum est Enthymema ad eandem sententiam refutandam, à Specie ad Genus, sed illa testimonio Legis scriptæ confirmatur: Si per Leges furem licet occidere: certè non omnis cædes nefaria. At licet. Ergo. Prop. & Ass. coniunguntur.

Quæ altera species communis?

Sententia illustris, cuius duæ species Prouerbia & Dicta sapientum, enumerantur, & nudis exemplis declarantur. *Illust. sent.*

Prouerbiorū & Parœmiarum quantus vsus sit vide in Chiliadibus Erasmi. Et sapientum dicta quasi vitæ leges existimantur, & hinc Apophthegmata nominantur. *Prouerb. Dicta.*

2. *Quod Proprium?* *Proprium.*

Proprium. i. singulare de certis quibusdam, quod vel antiquorum seu mortuorum est, vel præsentium & viuorum, exemplis & speciebus quibusdam declaratur. Arist. 1. Rhet. cap. 15.

Enumera exempla primò mortuorum. *Mortuorum.*

Ea tria proponuntur: Primum Platonis de hac hypothesi seu singulari. Q. Respub. fore beatas si à doctis gubernentur.

Secundum est Virgilij de hac hypothesi. Iustitiam esse colendam, nec diuos temnendos. Tertium est Homeri de singulari. Q. Athenienſium & Megarenſium de Salamine, cuius versu (qui tamen non in omni editione reperitur) Athenienses quibus Aiax suas naues iunxerat, vicerunt. Quinct. lib. 5. cap. 11. Et 2. Iliad. in catal. nauium. Aristot. 1. Rhet cap. 15. Laërtius addit. Salonem non solum eo testimonio vsum esse, sed etiã effossa in Salamine cadauera demonstrasse ad orientem conuersa, qui mos esset Atheniensium.

Quæ viuorum?

Præsentia viuorum describuntur & distinguuntur partim *Viuorum.*

tim ſubiectis, partim ſpeciebus quibuſdam. Aut enim de bonis, fama, capite, &c. Aut Obligatio, Confeſsio, Iuſiurandum nominantur. Atque hæc ſunt quotidiana teſtimonia in foro, quæ ſola vulgò teſtimonia, & anima litis appellantur. Species autem poſteriores deinceps declarantur; quod teſtium vulgarium ratio ſatis intelligatur.

1. Quod Obligationis exemplum?

1. *Obligatio.* Obligatio συνθήκη pactum & ſponſio ab Ariſtotele in his argumentis numeratur, & hîc Enunciato ex teſtimonio & re teſtata declaratur; idque adiuncto & modo augetur, quod periculoſa ſit ſponſio, & tamen Cicero ſponte ſpondeat. Poſtremò ſponſio collatione præſentis vitæ, & voti ſenatorum illuſtratur.

Quid hîc ſequitur?

Pignus. Obligationis ſpecies *Pignus*, quo Obſides pertinent. Pignus vulgò argumentum ſtultorum appellatur, qui artificiali deſtituti huc redeant: quare etiam à poëta imperitis paſtoribus eleganter attribuitur. Inuitat autem Menalcam Damætas ad cantandi certamẽ propoſito pignore ſeu præmio, quod effectis commendat.

2. Quotuplex Confeſsio?

Confeſſio. Duplex, Libera vel expreſſa tormentis, quæ Quæſtio propriè dicitur. Quæſtio eſt enim Confeſsio conſcij quidem, ſed coacti.

Quale hîc exemplum?

Enthymema eleuantis Quæſtiones de ſeruis Clodianis habitas, à contradictione & inconſtantia propter minas & pollicitationes aduerſariorum: Affirmantibus crux, negantibus liberras parata eſt. Ergo vanæ Quæſtiones. Ornatus in Proſopopœia Actoris ſollicitantis ſeruos in Quæſtione.

Quid porro ſequitur?

Experientia. Species Confeſsionis, Experientia, quæ definitur forma quadam ſeu fine.

De primi exempli ratione:

Enthymema hîc eſt ab experientia minoris. Volcatium nunc nemo tecto recipiet. Ergo ſi ſponte veniſſet libellam non dediſſent. Cicero enim diſputat Volcatio Verris miniſtro

ministro eius nomine pecunias datas esse ad corrumpendum iudicium.

Da secundi:

Enthymema est ab experientia: In omnibus artib. eum peritum experieris. Ergo solers est. Sic.n. Parmeno Act.3. sce.2. Chæream pro Eunucho deductum laudat.

Da tertij:

Enthymema etiam simile est: Velim experiaris meas miserias. Ergo non fingo. Sic enim scribit ad inhumanum obtrectatorem, qui exulem etiam accusabat & insectabatur.

3. *Quid Iusiurandum?*

Iusiurandum est testimoniū religiosæ affirmationis. Iusiurandum ait Aristoteles, est cum obtestatione diuina indemonstrabilis affirmatio. i. quæ demonstrari non possit. 3. *Iusiurandum.*

Quid postremò docet?

Admonitione de mutua affectionis reciprocatione in arguendo. i. arguendi vicissitudine hunc locum claudit. Est autem reciprocatio à Definito ad Definitionem obscura; à nomine ad notationem obscurior; sed à re testata ad testimonium arguendum & disputādum obscurissima. Nam si testis verax & bonus sit; etiam res testata vera arguitur: sed si res testata vel dictum testimonium verum sit; non ideo semper testis verus. Mali enim sæpius falsa, aliquando vera etiam dicunt. Imo bonos etiam interdum errare & decipi contingit: cùm, vt Tullius ait, hominis proprium sit errrare. *Reciprocatio.*

Epilogus Inuentionis.

Quæ sunt ad finem Inuentionis obseruanda?

Ea fere in procœmio, & Argumenti explicatione sunt exposita: attamen tria hîc in memoriam reuocentur.

Quod primum?

Argumenti cuiusque doctrinam, rationem & definitionem certissimam esse & propriè distinctam, vt quæ sit doctrina Caussæ, non possit esse Effecti, aut Adiuncti aut alterius doctrina. Attamen res subiectas seu exempla non ita præcisè esse distincta, vt semper retineant eandem notionum 1. *Doctrina cōstans.*

Exempla affectionē mutant.

tionum affectionem, ſed mutata collatione, vſu & tractatione, etiam reſpectus affectionem noménque argumenti mutari, vt ad Argumenti Definitionem declaratum eſt.

Quod ſecundum?

2. *Inuentio omnino generalis.*

His generalibus Locis, eáque ratione diſtinctis, omnes vias cuiuſque argumenti inueniendi omnibus rebus & auctoribus æque accommodatas contineri & facillimè percipi. Superuacanea enim eſt illa tum quorundam Dialecticorum ad Neceſſarias vel Probabiles argumentationes, tū Rhetorum ad genera Cauſſarum & ſtatus, argumentorum accommodatio. Eadem enim ſemper Inuentio odioſa & inani tautologia mutatis quibuſdam argumentorum nominibus, verbis & exemplis repetitur, & nunc ad hanc quæſtionem vel ſtatum ponitur & reponitur: quæ multo facilius & fructuoſius poſſet generatim & ſemel expoſita diſci & qualibet re propoſitóque probleniate exerceri.

Quod tertium?

3. *Inuentio argumēta nudè conſiderat.*

Cogitandum præcipuè incipienti tyroni, inuentionem affecta argumenta nudè conſiderare & exhibere, vt ſint ſolæ & ſeparatæ rationes, quæ deinceps certis legibus ad benè iudicandum diſponantur, & ad inſtitutum adhibeantur: hoc modo:

Rullus ——— Popularis.

Hæc duo argumenta nudè exhibita, diſponuntur Enunciato ad iudicandum verum vel falſum:

Rullus eſt Popularis.

Id quia contingens eſt, vel alioquin alicui dubium, quæſito alio argumento, nempè Effecto Rulli, qui ſit; Opprimere populum, negatur: & ſic fuerint tres nudæ rationes, vel duæ in Enunciato coniunctæ, & tertia nuda, quæ dicitur. Tertium Argnmentum.

1. Rullus non eſt 2. Popularis

3. Opprimit populum: vnde ſic concludatur:

Nullus opprimens populum eſt popularis
Rullus opprimit populum. Ergo non eſt popularis.

Sicè nudis arg. primum fit Enunciatum: quod ſi intelligatur, ſtatim iudicatur; ſin dubium ſit, fit Quæſtio, quæ deinde tertio aliquo argumento ex ſuperiorum affectione

inuento

inuento per Syllogiſmum probanda eſt. Methodus tãdem multa enunciata in ordinem redigit. Atque hoc ad iudicij certas leges intelligendas recordandum. Inuentio quidem etiam collocatis exemplis ad multiplicem vſum demonſtrandum illuſtratur; ſed collocationis præceptis non permiſcetur; ad quæ intelligenda argumenta nudè primũ ſunt cogitanda & exhibenda; deinde collocationis ratio oſtendenda.

P. RAMI DIALECTICAE LIBER SECVNDVS DE IVDICIO.

CAP. I. QVID IVDICIVM.

ADhuc prima Dialecticæ artis pars fuit in Inuentione: pars altera ſequitur in Iudicio.

Iudicium eſt ſecunda pars Logicæ de diſponendis argumentis ad benè Iudicandum: Certa enim diſpoſitionis regula vnumquodque iudicatur: vnde hæc pars Logicæ, & Iudicium & diſpoſitio pro eodem dicitur.

QVAESTIONES EXPLICAT.

Quomodo hîc Methodus continetur?

Adhuc prima, &c.] Tranſitione perfecta à priore parte, nempe nudorum Argumentorum Inuentione, ad alteram, eorundem ad bene iudicandum Diſpoſitionem.

Quid eſt Iudicium?

Iudicium eſt ſecunda pars Logicæ de diſponendis argumentis ad benè Iudicandum.] Definitio Iudicij à toto, forma, & fine: illa enim eſt collocatio argumentorum: hic iudicium de ijdem. 1. *Generale præceptum.*

a toto forma fine } argumentorũ collatio. Cur

Cur definitur dispositionis forma?

2. Prec. Forma iudicij.

Certa enim dispositionis regula vnumquodque iudicatur. Axioma ad illustrandam definitionem de forma & efficientia Iudicij; & hinc duplici nomine, vno à fine & fructu, altero ab efficientia seu forma ipsa.

Quæ vocabulorum ratio & significatio?

Nomina.

A forma iudicij sæpe nominatur τάξις dispositio, quod vt Syntaxis Grammatica conuenientiam & Rectionem vocum instituat, sic illa rationum collocationē ad iudicandum conformet, vt Homo est animal, latina oratio est, quod Nominatiuus à fronte cum verbo conueniat, à tergo ab eodem regatur; & Dialectica Enunciatio vera est quòd Genus generatim enunciato simplici de specie affirmetur. Sic θέσις, διάθεσις, & γένεσις, positio, dispositio, compositio dicitur, itémque quæ huic opponitur, ἀνάλυσις, quasi dicas Resolutio, quòd eadem arte Collocatio conficiatur, & vt exploretur, retexatur. Κρίσις Iudicium & ipsa doctrina κριτικὴ Iudiciaria à fine & fructu appellatur, quòd certa norma Collocationis veri vel falsi, Consequentis vel inconsequentis, Ordinis vel confusionis iudicium efficiatur. Nomina autem iudicij & Dispositionis sunt vsitatæ & aptæ significationis; quibus (sicut cæteris Logicæ vocabulis) duplex notio subiecta est: Interdum enim significant ipsas regulas iudicandi & disponendi, quales sunt omnes regulæ Enunciatorum, Syllogismi, & Methodi; interdum significant earundem fructum seu effectum. i. aptam rerum dispositionem; quæ ad illarum præscriptum facta sit.

Duplex significatio.

At videntur quidam diuersum à collocatione Iudicium instituere: cur igitur illud videatur in ea sola collocandum?

Etsi in definitionibus Argumentorum sit aliquid iudicij de notionum affectionibus, vt per Definitionem Caussæ iudices Caussam, &c. quale est in omnium artium regulis: tamen illud non est primarium & vniuersum Logicæ iudicium de vero & falso, consequentia & inconsequentia, ordine & confusione: sed est tantum regularum illarum fructus,

fructus, qui in nudis tantum & separatis rationibus agnoscendis consistit; imò illud primum iudicium est, sed non est doctrina primi iudicij. Verum autem iudicium ex collocatis rationibus existit, atque eius vis est in ipsa collocatione, qua vt sua forma necessariò efficitur seu enuntiando, seu concludendo, seu ordine plura collocando. Neque igitur vera habetur iudicij & collocationis forma, quę non certum iudicium efficit; nec ideo plures vel distinctæ species iudicij existimantur, in quibus non est certa, propria atque ab alijs distincta vis iudicandi, etiamsi forma quadam & specie diuersæ appareant, aut etiam in quibusdam exemplis certæ sint, vt de Syllogismi & argumentationis speciebus dicetur.

Sed cur alij diuersum aliquid hic instituunt?

Etsi eorum proposito et eorum opinione diuersum videatur, tamen si è re ipsa & doctrinæ vi spectetur, quatenus iudicij est, etiam Dispositionis doctrina est. Si quid præterea sit, id aut Inuentionis est, aut superuacaneum. Quicquid enim Aristoteles de iudicio præcipit, vel ἐρμηνεία Interpretatio, quæ efficitur Dispositione argumenti cum argumento, quod Ramo Enunciatum aut Axioma; vel Analysis prior, quæ est dispositio tertij argumenti cum duobus argumentis dubij Enunciati, qui Syllogismus; vel est analysis posterior rursus partim de Enunciatis, partim de Syllogismo & parte quadã de Methodo, quæ est dispositio complurium variorum Enunciatorum suo vel syllogistico iudicio manifestorum. Attamen hæc etiam in Topicis et Elenchis aliquando permiscentur. Rectè igitur iudicium definitur disponendi doctrina, vt Inuentio anueniendi: sic enim eleganter Analogia seruatur.

Estne alius fructus Dispositionis, quàm Iudicium?

Dispositionis Logicæ fructus non modo est Iudicium, sed etiam alius vberrimus memoriæ confirmandæ inde percipitur: atque omnia quæ de memoriæ arte præcepta sunt huc redeunt. Vide Methodum. *Dispositio iudicij & Memoriæ magistra.*

CAP. II. DE AXIOMATIS AFfirmatione ac negatione.

IVdicium est Axiomaticum vel dianoeticum.

Axioma est dispositio argumenti cum argumento, qua esse aliquid aut non esse iudicatur. Latinè enunciatum, enunciatio, promuntiatum, promuntiatio, effatum dicitur.

Axioma est affirmatum aut negatum: affirmatū quando vinculum eius affirmatur: negatum, quando negatur: Hinc nascitur axiomatum contradictio, quando idem Axioma affirmatur & negatur.

QVAESTIONIS EXPLICAT.

Quottuplex est Iudicium?

3. generale præceptum.

IVdicium est Axiomaticum vel Dianoëticum.] Dichotomia Iudicij in duo summa genera ex eiusmodi Naturæ notitijs profecta, & Aristotelis auctoritate confirmata: q. d. Iudiciū vel est Simplex, seu Enunciationis ex argumentorum inter ipsa collocatione; vel Compositum, seu Commentationis ex Enunciatis ante dispositis. Atque in hæc duo genera subeunt, quæcunq; vel à Philosophis vel à Rhetoribus de Logico iudicio præscripta sunt.

Quid Axioma?

1. præcep. speciale.

Axioma est dispositio argumenti cum argumento, qua esse aliquid aut non esse iudicatur.] Defi. à genere & forma; quæ subiectis rebus, in quibus consistit, & fine seu fructu adumbratur: deinde nominibus illustratur. Genus est Dispositio: Res in quibus versatur, nuda argumenta; finis seu fructus, iudicium Esse vel non esse. Atque hæc generatim, vt in sūmis generibus ex lege κατὰ πάντος fieri debet, definiuntur, *dispositio*, *argumenta*, *esse*; quæ deinceps per species explicabuntur, *dispositio* affirmata, negata; simplex, composita; *argumenta* nominatim, quæ hoc vel illo genere collocentur; *Esse* nominatim Verum aut falsum. Atque hinc intelligimus in Axiomate duo spectanda esse; vnum, Quid enuncietur, nempe argumenta; alterum quo modo enuncietur, nempe vt esse vel non esse iudicetur: vnde dupliees modi affectionis,

affectionis, primus affirmationis & negationis: alter iudicij veri & falsi intelliguntur.

An non ita etiam in Organo definitur?

Res quidem ipsa in Organo docetur: sed doctrina generalium & specialium affectionum confunditur. Axioma definitur per speciales affectiones, affirmationis & negationis, veritatis & falsitatis: quæ non satis erant ad illam definitionem generales: sed commodè deinceps succedent.

Quæ vocabuli ratio & significatio?

Hoc iudicium ab Aristotele nominatur ἀπόφανσις Enunciatum, quod simul enuncientur aut sic mente concipiantur argumenta: πρότασις Propositio, quod vnà proponantur, vnde προτείνειν, et προβλημα προβαλλειν: item rarius λῆμμα, λῆψις sumptum, sumptio, quod pariter sumãtur: tum θέσις ὑπόθεσις, positio, suppositio, & illa infinita, hæc finita, quæ diurna axiomatum doctrina continetur; tum ἑρμηνεία Interpretatio, quo titulo doctrina eius insignitur: tum denique ἀξίωμα postulatum, quod Cicero præcipuè quinque locis interpretatur quinque vocabulis, quæ sunt, Enunciatum, Enunciatio, Pronunciatum, pronunciatio, Effatum. M. Varro modo Profatum, modo proloquium: nonnulli ἀπαγγελίαν appellant, quod mentis interpres & quædam internuncia sit oratio. *Vocabula.*

Cur autem Ramus postremo Axiomatis vocabulum assumpsit?

Quod cætera vel nimis ambigua essent, vt Propositio, quæ latinis primam partem syllogismi significat, &c. vel magis externi essent & grammatici sermonis, quam interioris rationis, & logici conceptus, vt ἀπαγγελία, & quinque illa latina: de quibus ideo Cicero illa veniæ præfatione 1. Tusc. (dum melius inuenero) vsus est, cùm ea in hunc logicum sensum innouaret. Quare cùm Axioma mentis illam collocationem (neque enim semper enunciatur, sed mente etiam concipitur) proprius & præcipuè νόημα intelligentiam præstantiámque primi per se manifesti iudicij significaret; illud tandem in arte retinuit, vt genera etiam nominibus Græcis conuenirent. Confer. Gell. lib. 16 cap. 8. *Axioma.*

Quis primus putatur de Axiomatis scripsisse?

Auctor. Clinomachus Thurius, teste Laertio lib. 2. vnde Aristoteles in librum περὶ ἑρμηνείας transtulit.

Cur Enunciati Partitio hic praeterita est?

Partitio. Ea ex lege tertia, quod generalia generatim & semel sint docenda, praeterita videtur; cum definitione alterum argumentum inferius esse & antecedere, alterum superius & consequi intelligatur: deinde nec quicquam videtur amplius ad consequentia explicandum momenti habere. Attamen partes earúmque symbola obseruentur.

Quot igitur Enunciati partes, & quae appellationes earundem?

Nomina partium. Duae; Antecedens & Consequens: vel, Inferior de qua aliquid dicitur, & Superior, quae de alio dicitur. Illam Graeci ὑποκείμενον latini Subiectum appellant; hanc κατηγορούμενον. i. attributum, vulgò praedicatum. Neque vlla Enunciatio est, quae pluribus constet partibus: qua de causa ἄκρα id est termini, vel extrema dicuntur: quorum illud minus, vel terminus minor; hoc maius vel terminus maior appellatur. Item terminus ἡγούμενος antecedens, & ἑπόμενος consequens. Antecedens autem pars est, cui consequens imposita conuenire aut non conuenire dicitur. Consequens quae antecedenti imposita conuenire vel non conuenire dicitur. Haec Aristoteles fere simplici Enunciato tribuit; sed composito etiam conueniunt. Quia vero, quaedam omne argumentum significant, quaedam illud tantum quod Adiuncto respondet, & doctrina absque illis commodè intelligi & exerceri potest: Ramus deliberato studio ambiguas voces praetermisit, & vel solo argumenti, vel antecedentis & consequentis nomine vsus est.

Quottuplex Axioma ex partium modo & & communi affectione?

2. Praecep. spe. *Axioma est affirmatum aut negatum.*] I. DISTRIBVTIO omnium deinceps generum communis, eáq; duplex ex partium affectione in binos modos iudiciarios instituitur; quod ij deinceps in omnes species cadant; & si quod eorum de singularum specierum peculiari iudicio spectale

sit,

sit, qnale est Contradictionis & Compositorum axiomatum, id deinceps in singulis speciebus separatim docetur. PRIOR igitur hæc est prioris modi in eius oppositas differentias, affirmationem & negationem, quæ hîc generatim intelligentur, & infra ad species accommodabuntur. Est enim hic quasi ingressus ad iudicium.

Quod affirmatum & negatum?

Affirmatum quando uinculum eius affirmatur, negatum quãdo negatur.] Definitiones vtriusque affectionis forma; quæ est vinculi affirmatiõ vel negatio: eo enim partes vel affirmando componuntur, vel negando diuiduntur. Et hinc constitutio vel status Enunciati aut Quæstionis affirmatus & negatus nominatur. 3. Præc. sp.

Quid vinculum?

Vinculum est quo vis sententiæ continetur, idque est vel verbum ipsum, quod etiam alterum argumentum facit; vt Socrates ambulat; vel verbum inter duo argumenta interiectum, vt Homo est beatus; vel in Compositis Coniunctio, vt Homo est diues et pius: sed hæc quia specialia sunt, per species explicantur. *Vinculum.*

Quid ex affirmatione & negatione nascitur?

Hinc nascitur axiomatum contradictio, quando idem Axioma affirmatur.] Consectarium de peculiari affectione ex vtraque præcedenti opposita i. Contradictione, quæ definitur à forma, nempe affirmatione et negatione eiusdem opposita, magnámque vim iudici, continet. Est. n. singularis Axiomatis Cõtradictio, et species illius Topicæ etiam, sed subiectis rebus ab illa distincta. 4. Præc. spec.

Quatenus igitur conueniunt & distinguuntur?

Genere conueniunt, cum vtraq; affirmet et neget idem; sed subiectarum rerum specie et fine diuersæ sunt, cum Topica neget vbique et quoquo modo, atque ad arguendum adhibeatur; Aximatica autem neget tãtum idem Axioma

vt fuerat affirmatum, i. integrum consequens de eodem antecedente; atque ad iudicandum adhibeatur.

Declara exemplis.

Quemadmodum ex omnium generum dissentaneis attributis dissentanea Axiomata dici possunt; ita etiam aliquando è Contradicentibus dici possent generali Inuentionis intelligentia, Axiomata contradicentia, vt tamen non esset propriè axiomatica contradictio, hoc modo: Homo est animal: Homo est sapiens, sunt Axiomata diuersa. Homo est animal: Homo est arbor, disparata. Ratio est domina voluptatis: Ratio est serua voluptatis. Relata. Virtus est laudanda: Virtus est Vituperanda, Aduersa. Animal videt; Animal cæcum est; Priuantia. Sic, Ignorantia est fugienda: Ignorantia est non fugienda, Contradicentia topica sunt, sed non axiomatica: quia totum consequens nõ opponitur negatum toti affirmato, sed tantum eius parti, nempe, non fugienda; cùm totum esset, non est fugienda. Quare Axiomatis Contradictio genere ipso cum Topica conuenit; sed formâ subiectæ rei quæ affirmatur & negatur ab ea differt; ideoque non omnis contradictio est Axiomatis contradictio.

Cur Ramus separatam Contradictionis doctrinam non instituit?

Quia quatenus Topica est, illic satis est explicata; quatenus autem affectio & attributum Axiomatis; sapienter quod ipsius generale est, generaliter & semel vna cum genere subiecto. i. in quod cadit explicatur; quæ autem specialia, vt quam vim habeat in simplici, & composito axiomate, quia non est vniusmodi, commodius etiam in speciebus demonstrantur. De figura Contradictionis. vide partem.

CAP. III. DE VERO ET FALSO.

AXioma deinde est verum aut falsum. Verum quando pronuntiat vti res est: falsum, contra.

Axioma verum est contingens aut necessarium: Contingens, quando sic verum est, vt aliquando falsum esse possit: vt,

Audentes fortuna iuuat.

Fal

Hæc enim id esse hodie verum, cras falsum esse potuit: itaque veritatis huius contingentis iudicium, opinio dicitur: quæ præteritorum & præsentium homini certa esse potest, futurorum non per naturam non admodum potest, quamuis Deo tempora omnia præsentia sint: Itaque Martialis Priscum meritò cauillatur.

Sæpe rogare soles, qualis sim, Prisce, futurus,
Si fiam locuples, simque repentè potens.
Quenquam posse putas mores narrare futuros?
Dic mihi, si fias tu leo, qualis eris?

Necessarium, quando semper verum est, nec falsum potest esse: & illud affirmatum appellatur κατὰ παντός, de omni.

Impossibile contra, quod de nullo vnquam verum esse potest.

Axiomata artium sic κατὰ παντὸς esse debent, sed præterea homogenea & catholica.

Axioma homogeneum est, quando partes sunt essentiales inter se: vt forma formato, subiectum propriu adiuncto, genus speciei, id appellatur καθ' αὑτὸ per se.

Axioma catholicum est, quando consequens semper verum est de antecedente, non solùm omni & per se, sed etiam reciprocè: vt homo est animal rationale: numerus est par vel impar. Lupus est natus ad vlulandum. Id appellatur καθόλου πρῶτον vniuersaliter primum.

Tres hæ sunt leges documentorum artis propriorum: prima κατὰ παντὸς lex veritatis. Secunda καθ' αὑτὸ lex iustitiæ. Tertia καθόλου πρῶτον lex sapientiæ dicatur. Atque eiusmodi axiomatum ita catholicorum iudicium, verissima & prima scientia est.

QVAESTIONES EXPLICAT.

Quæ secundi modi iudiciarij affectio?

AXioma deinde est verum aut falsum.] Altera distributio est affectionum communium iudicij: atque hic alter modus de ipsis fructibus iudicij. Ab hoc modo Stoici Dialecticam scientiam verorum & falsorum, & neutrorum definiuerunt: quam definitionem Cicero Dialecticam à Diodoro Stoico edoctus sæpe secutus est. Atque ab hac speciali affectione Aristoteles etiam ipsum Axioma definiuit. 5. præcept. speciale.

Quod verum & falsum?

6. Præ. sp. *Verum quando pronunciat vti res est: Falsum contra.*] Def. à forma; quæ est rei & collocationis coniuncta veritatis: Falsi contraria est: Sic. n. consequens de antecedente verè, si res ita sit, secus falsò enunciatur. Verum itaque illud est quod naturæ rei consentaneum est, & id quod ei inest, inesse ait: illud quod rei non conuenit inesse negat.

Cur veritatis affectio Enunciato tribuitur?

Fructus triplicis iudicij. Quia solum Enunciatum per se Verum aut falsum enũciat. Syllogismus consequentiam vel inconsequentiam cõcludit; quia dubium propositum habet, quod per se sit Verum aut falsum, etsi non ita intelligatur. Methodus deniq; ordinem vel confusionem iudicat; quia plura Enunciata iudicata proposita habet; quæ si rectè collocat, ordo, sin minus, confusio efficitur.

Quottuplex est Verum? Duplex.

7. Præc. *Axioma verum est contingens aut necessarium.*] Diuisio veri in duas species ex differentibus notionum affectionibus; quæ aliâs sunt essentiales, vel quodammodo essentiales, aliâs dissensione infesta oppositæ; aliâs fortuitæ, &c. Speciei autem vtrique deinceps suus fructus & nomina iam facti iudicij, Opinio & Scientia respondent. Sic Arist. 1. ca. 1. Prio. Apodicticam. i. necessariam propositionem à Dialectica. i. probabili differre ait. Sed quæ præterea de vtriusque differentijs in sumendo vel interrogando adduntur, inutilia sunt commenta. Vna. n. & generalis logica est, de quocunque problemate entis vel non entis quocunq; modo differendo. Captiosè igitur & contra Leges ex his differentijs duplex vel logica vel argumentatio efficitur, cùm ex solius Enunciati sint propriæ. vide par. 2.

Quod contingens?

1. Contingens. 8. præc. *Contingens quando sic verum est, vt aliquando falsum esse possit.*] Defi. est à forma, quæ est contingens & probabilis argumentorum affectio: cùm ita inter se affecta sunt; vt casu

esse & coniungi & disiungi possunt. Aristoteli ἀδύνατον & aliquando δυνατὸν est.

Duo exemplum.

Audentes fortuna iuuat, ait Turnus 10. Æneid. milites suos adhortans aduersus Troianos cum magnis copijs mari aduentantes. Sic, Figulus inuidet figulo. Et quæcunque in rebus humanis aliter euenire possunt.

Quid sequitur deinceps?

Explicatio exempli à diuerso tempore; & Consectarium de nomine iam percepti iudicij, quod adiuncto tempore distinguitur.

Quod igitur Contingentis iudicij nomen & quæ eius distinctio?

9. præcep. Sp. opinio.

Opinio, quæ præteritorum & præsentium homini certa esse potest, futurorum per naturam non admodum potest, quamuis Deo tempora omnia præsentia sint. Distinctio hæc facit opinionem homini certam de præteritis & præsentibus, incertam de futuris: quæ testimonio Martialis lib. 12. Frisci nomine curiositatem hominum de rebus futuris deridentis confirmatur, Ille autem à genere vniuerso ita colligit: Futurum sciri nequit. Tua Quæstio est de futuro. Ergo sciri nequit, Assumtio præcedit; Propo. sequitur: Complexionis loco æque ridicula quæstio regeritur, vnde solutio ridicula intelligitur: Vt similis eris Leonum, si fias Leo; sic & locupletum, si fias locuples.

Quid? An de præteritis & præsentibus etiam Opinio dicitur?

Opinio præteritorum etiam.

Quidni? Nam si res fuerint contingentes & fortuitæ, earum vt præsentium, sic etiam præteritarum perceptio assensióque rectè Opinio nominatur: quod assentiamur ita quid factum esse, vt tamen aliter fieri potuerit. Sed præteritarum Opinio certa esse potest, futurarum non item.

Quid igitur de futuris statuemus?

Futurorum euentus nobis incertus est, ideoque Opinio incerta: quare eius iudicium cohibentes assensionem, nec temerè

temerè iudicantes Deo committemus; cui vt omnia præsentia sunt; ita & quicquid fore verum est, iam verum est; & verum certúmque semper fuit: attamen non ideirco necessarium. Neque enim Dei præscientia efficit rei futalem necessariúmque euentum; sed immota Dei per necessarias causas efficientia. Itaque quoniam ex causis de effectis iudicare debemus; ex Causis occultis, euentum occultum; ex apertis, manifestum; eúmque ex necessarijs, necessarium; liberis & voluntarijs, liberum & voluntarium; ex Physicis Physicum; & omnino quales sunt antecedentes Causæ, talem etiam euentum, et eius veritatem necessariam vel contingentem iudicabimus; ita vt semper primæ Causæ vis impediendi vel mutandi integra intelligatur.

Quid Aristoteles de futuris contingentibus?

Is Enunciationem quidem præteritorum & præsentium iam manifestè veram aut falsam esse sentit, in futuris contingentibus nequaquam similiter. At verò ille ita loquitur, vt affirmet in futuro contingenti partem neutram iam veram aut falsam esse; ídque quasi ab effecto Veritatis, qui sit Necessitas, efficit; sed Necessitatis nomen ambiguè et captiosè vsurpat, tum pro eo, quod quando sit, omninò et necessariò sit, quamuis sit reuera et per se contingens; tum pro eo, quod verè et natura sit necessarium.

Retexe igitur argumentationem.

Pro. Si futuri contingentis Enunciatio iam vera esset aut falsa: esset etiam necessaria.

Hæc lubrica et captiosa consecutio neganda est; quod veritas non sit causa Necessitatis, nec ideò necessarium quia Verum, cum etiam Veritas quædam sit probabilis. Sed Aristoteles ambiguè etiam contingens, quando est, omninò esse, et sic necessarium esse intelligit. Alioqui si omne verum protinus esset necessarium: diuina præscientia, cui iam certa et vera sunt omnia, quæ vnquam euentura et futura sunt, necessaria omnium euentorum causa efficeretur.

At non est necessaria, assumit Aristoteles,

Recte

Rectè quidem; sed hîc necessarium pro absolutè necessario, vt in arte intelligitur, non pro eo quod tum necessariò dicas esse, quando est, sumit.

Ergo nec futuri contingentis Enunciatio iam vera est aut falsa. Comp.

Hæc falsa igitur; quia propositionis consecutio captiosa & falsa erat. Per se enim & Deo iam vera aut falsa, etsi nobis per naturam talis non appareat; nec tamen ideo necessaria. Quare ex caussarum vi & ratione, vt ante dictum, de euentis iudicandum.

Quid omnino in primo iudicio spectandum, vt vera à falsis, necessariáque à contingentibus rectè distinguantur?

Primò Artis institutio; deinde rerum Cognitio. Quia iudicij norma & regula in arte informatur; fundamentum & subiecta materia est in rerum natura & ratione.

1. *Quomodo artis institutione?*

Adhibendis ad sententiam propositam tum generalibus, tum specialibus primi iudicij præceptis.

Quæ generalia illa?

Ea quæ initio generatim de Veri affectionibus ita traduntur, vt deinceps in omnes species cadant & accommodanda sint, nempe Veri & falsi definitiones reliquaque de eorundem proprietatibus documenta.

Quæ specialia?

Ea quæ sigillatim tum de contradictionis, tum de Compositorum iudicio traduntur: cùm quibus si generalia cõiungantur, & rerum vis affectióque intelligatur, rectè iudicabitur.

2. *Quomodo rerum Cognitione?*

Frustra artis instrumenta ad res incognitas accommodarentur, itaque res ex suis disciplinis vel communi vsu, quales sint cognoscendæ sunt. Et quia cognitio certæ in rebus affectionis iudicium præcedat necesse est; Inuentio hîc primò sui vsum præstat, ad res inueniendas, certísque affectionibus pro ipsarum natura & vsu distinguendas: deinde Iudicij regulæ de rebus cognitis certáq; affectione distinctis, verum aut falsum enunciãt; ídq, vel nominatim ex certa

certa Argumentorum affectione, vt homogeneum est ex forma & formato, &c. vbi certior iudicij ratio; vel simpliciter generali definitione, vt Contingens est, &c. Necessarium est, &c. vbi incertior ratio.

Quid igitur in postremi generis exemplis faciendum?

Hîc ad eas disciplinas aut communem vsum recurrendum, vnde deprompta sunt: & quoniam artes & disciplinæ suis criterijs iam iudicatæ sunt; videndum sitúe proposita Enunciatio artis alicuius regula & documentum; an verò fructus inde deductus, aut enunciatum de rebus vel arti subiectis, vel vulgaribus, & in communi hominum vsu positis. Si quid autem híc dubitetur, adhibenda communia illa artium Instrumenta, Inductio & Obseruatio. Sic in artibus sunt generales regulæ, inductione & experientia iam iudicatæ, quæ cùm Enunciantur, prima sunt suæ veritatis iudicia, & porro fundamẽta propositionésque Syllogismorum, vnde de subiectis & propositis rebus assumatur. Quemadmodum enim illæ ex innumerabilium obseruatione & Inductione constitutæ sunt, ita rursus ex iis specialia exempla cõcluduntur. Sic Sacrosanctæ Theologiæ Enunciata omnino ex Dei auctoritate sunt necessaria, nobísque etiam certis κεκπμενοις probata; Sic cæterarum artium præcepta inductione satis explorata; attamen in his si quid dubitetur, explorationis inductio & experientia adhibenda est. Res autem artibus subiectæ, & in hominum vitu positæ, plurimæ sunt fortuitæ & contingentes. In his igitur dijudicandis accuratione opus est: & si quid dubium nobis sit, id ad Syllogismi tribunal remittendum, vt per sequestrem dirimatur & clariore lumine illustretur. Postremò & fructus aliquis ad claritatem iudicij ex symbolorum vi & vsu repetendus est, vt appareat an rationes proprijs aut alienis, perspicuis vel obscuris, natiuis & simplicibus vel modificatis & figuratis vocabulis exprimantur. Atque vt clarior sit sententia, ornamenta etiam separanda sunt. Sic igitur Enunciata non solum vera aut falsa, sed etiam propria, perspicua, & certa; aut aliena, obscura & ambigua iudicabuntur.

2. *Quod Necessarium?*

2. *Necessarium.* 10. *præc.*

Necessarium quando semper verum est, nec falsum potest esse.] Definitio à forma, quæ est affectio argumentorum generalis & semper necessaria, ideóque vt apertius à Contingenti distinguatur, remotione contrarij declaratur. Hîc enim duæ proprietates, verum esse de omni & semper: cùm sic inferius & superius argumentum necessariò inter se coherent, vt disiungi non possint; vel ita disiunguntur, vt nulla ratione coniungi possint, vt bonum non est malum.

Quomodo necessarium affirmatum appellatur?

11. *præc.* κατὰ παντὸς.

Illud affirmatum appellatur κατὰ παντὸς de omni.] Distinctio est ab affirmationis affectione, eiúsque nomine ceu propria nota: & hinc rursum huius notæ definitio intelligitur, κατὰ παντὸς est Enũciatum necessarium affirmatum. Negatum igitur verum, vt, Virtus non est vitium, retinet commune nomen, aut Heterogeneum nominetur, quod etsi Homogeneo deinceps propriè opponitur, tamen generatim etiam, quia nunquam illæ partes sint essentiales, sed semper dissentaneæ, ita significat. Negata autem affirmati veri contradictio, prorsus falsa intelligitur.

Quæ igitur vis Enunciati κατὰ παντὸς?

Generalis; perpetua, & necessaria veritas de omni & semper vniusmodi, quæ nihil falsi aut fortuiti admittit.

Quod falsum ei oppositum?

12. *præc.* *Quid Impossibile?*

Impossibile contra, quod de nullo vnquam verum esse potest.] Definitio à forma; quæ est infesta & abhorrens partium affectio, cùm videlicet ita inter se abhorrent, vt coniungi, nisi absurdè, non possint. Sunt enim quæ nulla ratione connecti naturæ ratio patiatur; vt Lapis est animal. Ignis est frigidus. Sic enim inferiora de superioribus, & dissentanea de dissentaneis absurdè affirmantur.

Quomodo nominatur Aristoteli?

Ἀδύνατον, quod Cicero Nefas conuertit: Quintilianus Impossibile vsurpat lib. 5. cap. 10; tametsi lib. 3. ca 8. δυνατὸν possibile

possibile verti durum esse excusat.

Quis καθ' αὐτὸ præcipuus vsus?

13. Præc. *Vsus.*

Axiomata Artium sic κατὰ παντὸς *esse debent; sed præterea Homogenea & Catholica.*] Vsus primæ notæ Necessarij κατὰ παντὸς præcipuus demonstratur; & illud duabus aliis affectionum notis distinguitur; quarum idem etiam vsus fit.

Quod igitur Homogeneum?

14. Præc. *Homogeneum.*

Axioma homogeneum est, quando partes sunt essentiales inter se, vt forma formato, Subiectum proprio adiuncto, genus speciei, id appellatur καθ' αὑτὸ *per se.*] Def. à forma, quæ est essentialis partium affectio, eáque tribus argumentorum speciebus & proprio nomine declaratur. Sic Homo est particeps rationis, capax disciplinæ, animal: in quibus est συγγένεια absolutè, aut modo quodam. Intellige generatim Essentialia per se, & quodammodo, siue prima siue orta. Huic contrarium est Heterogeneum, verum, quod etiam superiori generatim opponitur: nam falsum est impossibile.

Quomodo Aristoteli appellantur?

Συγγενὴς καὶ ὁμογενὴς, ἐπιγενὴς, quæ latinis Congener & degener. i. eiusdem vel diuersi generis ex Plin. lib. 15. cap. 24. esse videantur: sed Græca latinè declinata in Scholis vsurpata sunt.

Vbi Aristoteles hanc notam docet?

Aristot. 7. cap. 1. Post. συγγένειαν cognationem absolutam & modo quodam per quatuor modos speciatim docet, quam generatim & semel, vt Ramus, definire exemplisque declarare ex lege tertia debebat. vide Sch. Rami ad illum locum.

Quæ igitur vis, & quis fructus Enunciati καθ' αὑτὸ?

Homogenei fructus.

Homogenea, cognata & essentialis veritas, subiectæ rei solius & omnino propria, quæ nihil alienum aut confusum patitur. vt, Rhetorica est ars benè dicendi, homogeneum est. Rhetorica est ars benè disserendi & dicendi, confusum est & heterogeneum.

Quod

Quod Catholicum?

Axioma Catholicum est, quando consequens semper verum est de antecedente non solum omni, & per se, sed etiam reciprocè. Id appellatur καθόλου πρῶτον universaliter primum.] Defi. est à forma, quæ est partium reciprocatio, & comparatione superiorum notarum. quas complectitur explicatur; deinde tribus exemplis definitionis, distributionis, & subiecti adiunctíque proprij, tandémque proprio Nomine declaratur. Sic, forma de formato, propria qualitas de subiecto, partes de partito, Definitio de definito Enunciatur. Homo est animal rationale. Animal rationale est homo, &c. 15. Præc. Catholicum.

Quomodo Aristoteles definit?

Καθόλου δὲ λέγω, ὃ ἂν κατὰ παντός, καὶ καθ' αὑτό, καὶ ἧ αὐτό. universaliter autem dico, quod & de omni, inest & per se & quatenus ipsum.

Quid quatenus ipsum?

Id πρῶτον primum deinde appellat, & interpretatur, quod neque superius sit, neque inferius, sed par & æquale; vt sunt generalia generalium; specialia specialium: quæ nempe propria sunt inter se atque reciproca. Sic nempe Definitio inest æque generali vi definito, quatenus ipsum generale est, &c. Itaque καθόλου πρῶτον Aristoteli idem est quod ἀντιστρέφον: quia sic ait præcedentia argumenta ἐξισοῦσθαι καὶ ἀντιστρέφειν exæquari & conuerti.

Quæ vis & quis fructus Catholici?

Catholica, propriè enunciata, et cum suo æquali iuncta Veritas, quæ nihil inæqualiter iunctum, aut inaniter iteratum admittit. *Catholici fructus.*

Quomodo trium illarum affectionum vsus distinguitur?

Tres hæ sunt Leges documentorum artis propriorum: prima κατὰ παντὸς lex veritatis: Secunda καθ' αὑτὸ Lex iustitiæ; tertia καθόλου πρῶτον Lex sapientiæ dicatur.] Præstãtia et vsus Iudicij triũ Enunciati necessarij affirmati differẽtiarum seu affectionũ diuersis finibus seu fructibus concluditur et distinguitur. 16. Præc. Legum vsus.

Quæ

Quæ igitur præstantia?

Tam insigne hoc iudicium vt sacrosanctarum legum & Artium materia nomen mereatur, quod ijs omnia in omnibus disciplinis & artibus præcepta regi queant & conformari. Eas igitur Aristoteles in posterioribus Analyticis 4. & 5. cap. 1. definitas, deinde varijs capitibus promulgatas diligentissimè exposuit.

Qui fines & fructus iudicij singularum?

Prima lex Veritatis, qua veritas in disciplinis necessaria & generalis iudicetur; secunda Iustitiæ, qua cognatione essentiali fines artium regantur, vt suis quæque terminis & præceptis distinctæ nihil alienum vsurpent; Tertia Sapientiæ, proprietatis & conuersionis, qua omnia in artibus propriè commodéque enuncientur, æqualiáque æqualibus iungantur, nominata est.

Planius de singulis explicato: quomodo 1. lex præcipit?

καθ' παντὸς. Præceptum artis & scientiæ quodlibet esto καθ' παντὸς de omni, hoc est, verum, necessarium & vniuersale, semper, omnino, necessarióque verum. Nulla in arte vlla explicanda falsi comminiscendi licentia esto: doctrinam fortuitam parte alia veram, alia falsam, tempore alio veram, alio falsam in arte ne collocato. Omnia igitur vsu artium nō modo inuentore, sed etiam moderatore, & censore diligentissimè explorato: quicquid illæ legibus conueniens probat, id retineto; cætera repudiato vel emendato.

Sed quomodo generalis iſtius necessitatis veritas concipitur, & in præcepti formam redigitur?

Obseruationis instrumenta. Inductione specialium & sensu obseruatorum exemplorum. 14. cap. 1. post: huc enim spectant illa instrumenta ἱστορία, μαρτυρία, αἴσθησις ἐπαγωγὴ: quibus infinitæ nugæ exterminantur, quæ vsum non habent.

Quomodo intelligitur & ab animo concipitur?

Animus notitias rerum necessarias & vniuersales nō informatas à natura ipsa capit, sed colligit facultate intelligentiæ sibi naturali & ingenerata; vt oculus colorum species ex vtero matris non attulit, sed facultatem naturalem omnia colorata cernendi. Itaque generalium & necessarium vniuersi-

vniuersalium notitiarum non ἕξις habitus, sed δύναμις facultas nostris animis naturalis est. ca. 18. 2. po.

Quibus igitur rationibus illa lex ab Aristotele persuadetur?

Ad hanc persuasionem decem capita 1. Post. ita referuntur: Omnia artis præcepta sunt κατὰ παντὸς. Itaque sunt necessariarum rerum & generalium, vt est cap. 6. Non igitur fortuitarum neque sensilium, vt est 24. Tum verò vniuersale præstat singulari, quia perpetuum, quia αἰτιώτερον, ἁπλούστερον, ἐπιστημονικώτερον, ἀρχοειδέστερον, magis caussa, simplicius, scibilius, principio propius, vt est 20. cap. Porro affirmatio præstat negationi, quia cæteris paribus breuiora meliora: quia γνωριμότερον, καὶ πιστότερον notius & probabilius, quia ἀρχοειδέστερον cap. 21. Et δεικτικὸν ostensiuum præstat cogenti & ducenti ad impossibile 22. cap. Accedit eò primam figuram Syllogismi cæteris præstare tanquam ἐπιστημονικωτάτην cap. 11. Denique captiones & fallaciæ, quæ neglecta hac lege accidant, disseruntur 12. & 13. cap. Hæc nobilis illa promulgatio fuit Aristotelis de hac Lege; quam ideo Ramus tam vehementer laudauit, & Legem Veritatis nominauit. Sint igitur omnium Artium theoremata omnino necessarióque vera. Ac si quid speciale sit πορισμὰ & Consectarium ex illo fonte Catholico deriuatum: id generali theoremati additum κατὰ παντὸς explebit. *Aristotelis suasio.*

Quomodo Secunda lex mandat?

Præceptum artis quodlibet esto καθ' αὑτὸ homogeneum essentiale cognatumúe, iustéque tributum: fines artium reguntor, vt suis quæque terminis & præceptis proprijs distinctæ sint. Nulla ars quicquam alienum vsurpato, nec quicquam alterius generis misceto & confundito. Dialectica in Rhethorica aut Grammatica, & contra ne docetor; aliæ aliarum fructus ad suos præstandos ex alijs repetunto. Omnia igitur iustissima lance examinantor, & vsu censore diriguntor: quicquid proprium cuiúsque deprehenditur, id retinetor: alienum & confusum ad suos fines remittitor. Summatim ἑτερογένειαν segregando homogenea ab heterogeneis in omnibus artibus totáque philoso- 2. καθ' αὑτό.

phia ſeparantor. Præcepta artium diſtinguuntor: vſus tamen coniungitor. Parum enim eſt in artibus informandis quidlibet eſſe neceſſarium, niſi ſit item καθ' αὐτὸ per ſe & eſſentiali cognatione proprium. Altercationes falſarum opinionum, refutationúmque elenchi tolluntor: in his ad vſum eruditionis artium homogeneum nihil eſt: quare his impedimentis detractis Artes dimidio breuiores & clariores erunt.

Quomodo Ariſtoteles hanc legem perſuaſit?

Ariſtotelis ſuaſio.

In hac Regula commendanda tria ferè capita verſantur 7. 8. 9. primi lib. poſt. obſcura quidem & confuſa, ſed tamen vnde hęc lex iuſtitiæ ad regendos artium fines commodè habeatur. Exemplum Ariſtotelis inſigne eſt & inſtar plurimorum: Numeri in Arithmitica tantum docendi ſunt, eorúmque genera, differentiæ, ſpecies & proprietates. Sic in Geometria Magnitudines. Secus arithmeticum in Geometria ἀγεωμέτρητον: Geometricum in Arithmetica ἀνάρμοστον fuerit. Sic igitur Ariſtoteles illis capitibus homogenium imperat, ne à genere alio in aliud digreſsio vlla permittatur: attamen ſuperiorũ artium rationes in ſubalternis & inferioribus concedit. Sic Axioma Logicum (Eidem æqualia ſunt inter ſe æqualia) numeris & figuris explicandis accommodat: vtque Arithmetica in ſonis & figuris cæteríſque numerabilibus rebus adhibetur: ita Geometria in Opticis, Aſtronomicis, & Mechanicis. Sic enim aliarum artium vſus cum alijs communicatur, præcepta neutiquam confunduntur. Hæc Ariſtotelis ſuaſio, vnde Ramus hanc iuſtitiæ legem fecit.

Quoniam vero artes multis alienis confuſæ videntur, declara quibuſdam exemplis, quemadmodum heterogenea ſint ſeparanda?

Quomodo heterogen. ſeparanda.

Hæc Lex è Grammatica ſegregat partitionem in Methodicen & hiſtoricen: quòd Methodus in docenda Grammatica, vt in cæteris requiratur, ideóque eius forma non pars vel ſpecies ſit: Hiſtorice nullo modo ſit Grammaticæ, ſed ex cognitione poëtarum, hiſtoriarum, aſtrologiæ & aliarum diſciplinarum conſtet. Hæc è Rhetorica Inuen-

tionem

Vulgaria exempla.

rſonem & Diſpoſitionem & Memoriam exterminat, quòd ſint Mentis & rationis, ideóque Dialecticæ homogeneæ, Rhetoricæ heterogeneæ. Hæc è Dialecticæ finibus Nominis, Verbi, orationis, Quantitatis in numero & magnitudine, Subſtantiæ, Qualitatis in habitu & diſpoſitione, patibili qualilate, potentia naturali & impotentia, multarúmque aliarum rerum doctrinã eijcit, quod Grãmaticæ, Phyſicæ & aliarum artium ſit: vſus quidem communis eſt, doctrina ſuo generi ſubiecto tantũ ſyngenea. Hæc è Geometria Analogiæ doctrinam; è phyſica communem cauſſarum, motuum, loci, temporis explicationem: è Metaphyſica multas altercationes logicas, ad vnam Dialecticam reuocat. Hæc denique omnibus artibus propriarum rerum definitiones, partitiones, & proprietatum explicationes tribuit; elenchorum & opinionum commenta adimit, ideóque eas multo clariores & breuiores facit.

Quomodo tertia lex imperat?

Καθόλου πρῶτον.

Præceptum artis quodlibet eſto καθόλου πρῶτον, Catholicum propriè enunciatum, reciprocum, ſapienter ſuóque æquali iunctũ. Generalis affectio in genere, ſpecialis in ſpecie docetor: τῷ γένει ὁμογενές, τῷ εἴδει ὁμοειδὲς παράλληλα copulator. Propriæ affectiones proprijs & ſuis ſubiectis attribuuntor. Specialis affectio generi, generalis ſpeciei ne attribuitor: ſecus ſi feceris, primum inſcientiam ſophiſticam, quia ſpeciale non omni genere conuenit, ideóque ſic non eſt καθ' παντὸς; deinde odioſam tautologiam efficies, quia eadem affectio ſæpius iteratur, quæ dicta ſemel tantundẽ eſſet profutura. Ergo tautologiarum cumulos in arte inſtituenda vitato: tam horribilem ſophiſticã ne probato. Omnia igitur prudenter & ſapienter digeruntor, generalia generatim & ſemel; ſpecialia per ſpecies ſuo quæque loco docentor: hoc eſt, Generi ſummo affectio ſumma, medio media, infimo infima iũgitor: ſumma enim medijs & infimis eſt cõmunis. Sint enim Artes generales & veræ, ſint homogeneæ & diſtinctæ: ſi tamen non ſint catholicæ & affectionibus proprijs quæque coniunctæ: valde erunt obſcuræ, perplexæ & difficiles. Ergo quælibet catholicè propriéque enunciantor; & erunt illuſtres, expeditæ, breues, & faciles.

faciles. Tum enim facile discitur, & verè scitur, cùm ex primo ortu fontéque, & quatenus ipsum scientia repetitur.

Vbi Aristoteles & qua ratione hanc legem suasit?

Quarto & 5. cap. 1. Post. præcipuè ea proposuit & exemplis Mathematicis confirmauit. Nam commissum à doctore in hanc legem ait, si generale speciali, aut contra speciale generali tribuatur. Prioris sophismatis, exempla tria sunt: vt, 1. Si quis doceat lineas rectas non concurrere, vitiosum est: Nam parallelismus etiam obliquis lineis, etiam superficiebus conuenit. 2. Æquicrurum tres angulos duobus rectis æquales habere: cùm æqualitas illa reliquis triangulis communis sit. 3. Numero aut magnitudine ἀναλογίαν τὴν ἐναλλάξ conuenire; cùm illa analogia logica planè sit, omnísque & entis & non entis communis. Nam etsi de vnaquaque trianguli speciei demonstretur, quæ generalis angulorum affectio, nondum tamen res demonstratur nisi sophistico modo. Quamuis enim reipsa idem est de qualibet specie de vniuerso genere demonstrare: doctrinæ tamen commodum non est idem: quia pluribus demonstrationibus docetur, quod vna demonstratione possit doceri. Tautologia hæc est, quæ artificiosam methodum impedit & dubitationem odiúmque parit; ideoque omnium sophisticarum fraudum disciplinis perniciosissima ab Aristotele habetur. Secundi sophismatis exemplum est in Aristotele vnicum & breue: si angulorum ista affectio figuræ tribuatur; tum enim speciale generi tribueretur. Atque hæc Aristotelis præcipua suasio fuit: vnde P. Ramus illam sapientiæ legem appellauit; quæ omnia ita propriè enunciaret, atque ex generalibus suo loco catholicè iunctis; specialia ordine deriuaret. Hæc Sapientia sua complectitur primam legem, dum generalem & vniuersalem veritatem generatim & vniuersè accipit & enunciat; ideóque sola hæc Veritas vniuersalis ἁπλουστάτη, αἰτιωτάτη, ἀρχοειδεστάτη, ἐπιστημονικωτάτη: imo ipsamet ἀρχὴ, αἰτία, ἐπιστημὴ.

Sed quia Aristotelica exempla mathematica, ideoque discipulo adhuc Grammatico & Rhetorico ignota sunt, declara Grammaticæ, Rhetoricæ & logicæ exemplis vitia in hanc legem?

Ortho-

Orthographia & Prosodia sunt duarum Grammaticæ partium Etymologiæ & Syntaxeos affectiones, per illas fusæ & perpetuæ; cum illis igitur coniunctim doceri, non separari debebant. In Etymologia Species & figura communes sunt vocum affectiones, communitérque docendæ, quod sic perinde intelligantur. At in omnibus partibus iterantur. Comparatio est affectio specialis quorundam adiunctorum: at in ordine accidentium communium ponitur, &c. In Rhetoricis Allegoria, Hyperbole, catachresis vel separati tropi fiunt, vel in Metaphora collocantur. At cõmunes sunt omnium troporum affectiones: ergo nec separatim pro tropis, nec in Metaphora explicabuntur, sed vt cõmunes affectiones generali eorum definitioni adiungentur. Porphyrius voces à generali Inuentione separauit, vt Definitionibus, Diuisionibus, & Categoriarum explicationi inseruirent. At generalia argumenta sunt quemadmodum & ipsa Definitio & Diuisio: in generali igitur Inventione rectè ab Aristotele, Cicerone, Rodolpho, Ramo & alijs collocantur, vsúque etiam vberiore demonstrantur. Sed huiusmodi in illis artibus plurima sunt, de quibus suo loco ex P. Rami Scholis amplius disseretur. *Vulgaria exempla.*

Hactenus de legibus illis copiosior explicatio; redeamus ad artis ordinem.

Quomodo vocatur Enunciati Necessarij percepti generale iudicium?

Atque eiusmodi axiomatum ita catholicorum iudicium verissima & prima SCIENTIA *est.*] Definitur nomen percepti iudicij necessariorum Enunciatorum, quod est *verissima & prima scientia.* 17. *Præc. Scientia.*

Quid de scientiæ iudicio Aristoteles?

Scientiæ iudicium Aristoteli ita collocatur in rebus necessarijs 26. ca. 2. post. atque id iudicium dicitur ἀμετάπτωτον immutabile, 2. cap. 1. post. Et, ἀμετάπειστον indissuasibile. 4. cap. 6. Top.

Quæ illustrior Scientia & quomodo nominatur?

Scientia principiorum .1. eiusmodi enunciatorum multò est illustrior scientia aliunde deductorum: atque talis

principiorum intelligentia 3.cap.1. poſt. & 18. cap.2. poſt. dicitur νοῦς intelligentia vel intellectus: & idem ad 26.cap. 1.poſt. Philopono dicitur ἀκροτάτη τῆς ψυχῆς δύναμις ſumma animæ facultas. ſed Ariſtot. ipſi 14.ca.1. Top ὡς ὄψις ἐν ὀφθαλμῷ, νοῦς ἐν τῇ ψυχῇ vt viſus in oculo, ſic intelligentia in anima dicitur. Ergo Intelligentia appellatur ab Ariſtotele tale iudicium.

νοῦς. *Eſtne νοῦς potius mentis facultas & vis, nempe logicum & vniuerſale lumen his quidem præcipuè contemplandis idoneum, ſed cæteris etiam rebus æſtimandis aptum?*

Eſt quidem; ideóque Ramus hîc paulò ſecus loquitur, & pro Intelligentia Scientiam ponit: μετωνυμικῶς νοῦς pro percepta Scientia & Intelligentia accipitur. Scientia autem aliquando etiam abſolutè & ſimpliciter Veritas appellatur; ideo iudicium Scientiæ & Veritatis pro eodem eſt.

Habetne Enunciatum neceſſarium tribus his legibus conſentaneum ſua quædam nomina, quibus eius vis intelligatur, & diſtinguatur?

Nomina neceſſarij.

Habet quidem: Appellatur αὐτόπιστον, ἄμεσον, ἀναπόδεικτον, per ſe probabile, immediatum, indemonſtrabile; lumen non ſolum ſui, ſed etiam contrarij, vt eſt 2.cap.1.poſt. Appellatur ἀρχὴ principium; & principiorum doctrina quædam deſcribitur, quod aliud ſit ἀξίωμα, aliud Theſis. Ἀξίωμα, quod neceſſe ſit habere τὸν μανθάνοντα eum qui aliquid diſcere debeat, vt eſt 2.& 8. cap.1.poſt. quodque οὐ παρὰ τέχνην ἢ διδασκάλου non ob artifice & magiſtro capiatur, vt ait Philoponus. Θέσις verò principium dicitur illud indemonſtrabile, nequaquam diſcenti protinus manifeſtum, vt definitiones, & hypotheſes ſeu αἰτήματα, poſtulata.

Quid Ἀξίωμα.

Quid Θέσις.

Quid prodeſt illa diſtinctio in logicis?

Nihil omnino, quia non eſt in logicis decretis homogenea; imo tota eſt inanis & aliena: neque in condendis ad illas leges artibus vlla eſt hic vtilitas. Artes omnes definiendo, partiendo, & proprietates explicando deducuntur & traduntur: ſed vtrum definitiones, partitiones, proprietatum explicationes, ſint axiomata an theſes, hypotheſes,

ſes, αἰτήματα, conſideratio prorſus nulla eſt. Si per ſe claræ & manifeſtæ ſint luce ſua, id oſtendunt: ſi quid explicationis præterea requirant, obſcuritas ipſa iudicio ſuo lucem ſibi neceſſariam poſtulabit: nomine theſeos, hypotheſeos, αἰτήματος hîc nihil opus eſt; legum tantum ſuperiorum iudicium, vt illis præcepta reſpondeant, requiritur. Principiorum autem illa μαθηματικὴ & inanis diſtinctio, è Mathematicis profecta eſt, vbi ἀξιώματα & αἰτήματα, hypotheſes, ὅροι definitiones iam ante Ariſtotelem nominabantur. Nos Axiomatum doctrinam ſimpliciter relictis illis diſtinctionibus ſequamur, & nihil errabimus. Artis eſt vera à falſis, & ita Neceſſaria à Contingentibus diſtinguere: Sed ſintne axiomata, vel theſes, poſtulata; itémque Manifeſta vel dubia; ea diſtinctio ad artem nihil pertinet, ſed diſſetētis ingenio & intelligentia efficitur.

CAP. III. DE AXIOMATE ſimplici.

ATque hæc de communibus axiomatis affectionibus, ſpecies ſequuntur. Axioma eſt ſimplex aut compoſitum. Simplex eſt, quod verbi vinculo continetur. Itaque affirmato vel negato verbo affirmatur vel negatur: vt ignis vrit: Ignis eſt calidus: Ignis non eſt aqua: hic (ignis) antecedens (vrit) conſequens. Atque hic prima eſt inuentarum rerum diſpoſitio, cauſſæ cum effecto, vt in primo exemplo: ſubiecti cum adiuncto, vt in ſecundo: diſſentanei cum diſſentaneo; vt in tertio: quomodo argumentum quodlibet enūciari poteſt (exceptis plenis comparationibus & diſtributionibus) conſentanea quidem affirmando, diſentanea negando.

Axioma ſimplex eſt generale aut ſpeciale. Generale quando commune conſequēs atribuitur generaliter communi antecedenti: atque hic contradictio non ſemper diuidit verum & falſum, ſed contingentium vtraque pars falſa poteſt eſſe: vt,

Omnis in vrbe locus Baijs prælucet amœnis,
Nullus in vrbe locus Baijs prælucet amœnis.

Item non contingentium, vt, Omne animal eſt rationale: Nullum animal eſt rationale.

Axioma ſpeciale eſt, quando conſequens non omni antecedenti attribuitur: & hic contradictio ſemper diuidit verum à falſo.

Speciale eſt particulare aut proprium. Particulare quando conſequens commune antecedenti particulariter attribuitur. Huic autem axiomati generaliter contradicitur.

Aliquid ignoſcendum eſt:
Nihil ignoſcendum eſt.
Aliqua clementia non eſt laudanda:
Omnis clementia eſt laudanda.

Axioma proprium eſt, quando conſequens antecedenti proprio attribuitur: vt Fabulla eſt bella, cuius negatio & contradictio eſt, Fabulla non eſt bella.

QVAEST. EXPLICAT.
Quid deinceps ſequitur?

ATque hæc de communibus Axiomatis affectionibus: ſpecies ſequuntur.] Tranſitio à communibus modi iudiciarij affectionibus ad Species: hoc eſt à primo diſtributionis duplicis genere, quod è partium natura oriebatur, ad alterum Generis in ſpecies.

Quottuplex igitur Axioma genere?

Genera. 1. præcep. *Axioma eſt ſimplex aut Compoſitum.*] II. DIVISIO Generis in ſpecies, ex numero formáque partium. Recordandum ſuperiora generalia de partibus, earúmque affectionibus iudiciarijs in ſingulas ſpecies cadere, & in his ſi quid peculiare habeant ſpeciatim demonſtrari.

Quid Ariſtoteles de hac diuiſione?

Ea ex ipſius mente & ſcientia facta eſt, cui ἀποφάνσις ἁπλῆ, ἢ συμπλοκή de Interp. 4. cap. 1. lib. & ſimplicis doctrina duobus libris de Interpretatione tractata eſt. Chryſippus & alij ἀξιώματα ἁπλᾶ καὶ οὐχ ἁπλᾶ dixerunt. Simplex etiam κατηγορικὴ, Compoſita συμπλοκὴ minus tamen commodè appellantur.

Quod ſimplex?

Simplex. 2. præcep. *Simplex eſt quod verbi vinculo continetur.*] Definitio à forma, quæ eſt verbi vinculum; quo ſic etiam ſimplex vnicáque

eáque sententia enunciatur, vt aliâs definitur. Quia igitur generalis axiomatis definitio Argumentum cum argumẽto disponi ostendit, Verbi vinculum hîc formam perfectã facit, & satis simplex à Composito distinguit: atque ab hac forma speciali potius differentia videtur sumenda, quam à tota sententia. Et Verbum non Grammaticum vocabulũ, sed ipsum mentis sensum Verbo externo significatum appellat. Verbum autem Grammaticum siue alterum faciat argumentum, siue inter duo interijciatur, nihil ad doctrinæ rationem interest.

Quomodo affirmatur vel negatur?

Itaque affirmato vel negato verbo affirmatur vel negatur] Consectarium de primi modi affectione ad hoc genus accommodanda, hoc est affirmatione & negatione rectè formanda. *Contradicto. 3. præc.*

Da exempla simplicia, & separa partes.

Ignis vrit. Ignis est calidus. Ignis non est aqua. hîc (ignis) est antecedens (vrit) consequens. Atque hic prima est inuentarum rerum, &c.] Illustratio est ab exemplis; & deinde explicatio specialis proprietatis de partibus, ijsque adiuncto modo, hoc est, quæ Argumenta & quo modo hac prima simplicissimáque dispositione enuncientur, nempe omnia, exceptis plenis comparationibus & distributionibus. Nam Comparatio plena constat προτάσει καὶ ἀποδόσει, quæ simplici enunciato comprehendi non possunt, vt nec Totum & partes, quæ coniunctione aliqua vinciuntur. Sic autem generalis definitio Axiomatis ad speciem adstringitur.

Da omnium generum exempla quædam.

Deus creauit hominem è limo terræ. Homo est ratione præditus. Homo agriculturam exercet. Homo est diues. Homo non est bestia. Roma est æqualis Olympo. Roma est maior Athenis. Roma est minor Babylone. Roma est similis Carthagini. Roma est dissimilis mantuæ. Homo ex humo factus nominatur. Consul à consulendo dicitur. Homo est humanus. Caussa consularis consulem requirit. Dialectica est ars benè disserẽdi. Cato iudicauit Catilinam

interimendum esse. Quæcunque verò simpliciter enunciantur, eadem ferè coniunctè possunt enunciari. Atque hactenus accommodatio est ad generalem Enunciati definitionem, vt, cum illa argumenta enunciari significet, hîc speciatim quæ simplici enuncientur intelligatur.

Quottuplex Axioma simplex? Duplex.

Genera simplicis. 4. præc.

Axioma simplex est Generale aut speciale,] Diuisio simplicis in proximas species, quæ ex quodam enunciandi modo oriuntur; aliter enim vniuersè de omnibus vel nullis, aliter ex parte de quibusdam vel vno enunciatur. Arist. 5. cap. 7. ἡμι. Dichotomia autem hîc retinetur: quia ἀδιόριστον. i. infinitum Aristotelis, quod esset communem quoddam ambiguum & incertum, vtrum generaliter an specialiter intelligeretur, reuera nullum est. Omnis enim Enuntiati mente concepti sententia est generalis vel specialis: tertia illa vaga nulla esse potest. Sin vero videatur ita enunciari, vt Consul hostem exire iubet: Synechdoche docet Genus poni pro specie, Consulem pro Cicerone: sententiámque specialem esse. vide par. 2.

Quod Generale?

Generale. 5. præc.

Generale est quando commune consequens attribuitur generaliter communi antecedenti.] Defi. à forma, quæ est vniuersum consequens de omni antecedente enunciare. Vniuersalis enim de omni subiecto ait quid aut negat. Itaque notæ ipsius hæ vulgo docentur, Omnis, nullus: Semper, nunquam: vbique, nusquam. Græci notas illas vocant modò συγκατηγορήματα, quia sine adiunctione nihil significant; modò ἀφοριστήματα, quia quemadmodum attributum subiecto conueniat, definiunt ac demonstrant. Et sunt quidem illa signa ac symbola vniuersalis sententiæ; sed de ijs in arte nulla erit explicatio: quia Sententia Enunciati spectanda est quæ mente concipitur; & si extra enuncietur, rarò ea signa requiruntur, quod plurima generalia sine ijs constet, vt omnia artium præcepta, & plurima in communi vsu, vt, Virtus est vitium fugere; aut si requirantur, per se vt verum cætera symbola incidant.

Quando

Quomodo generalis Contradictio iudicatur?

Iudic. Contrad. Generalis.

Atque hic contradictio non semper diuidit verum & falsum, sed contingentium vtraque pars falsa potest esse, vt Omnis in vrbe, &c. Item non contingentium, vt Omne, &c.] Iudicij modus Contradictionis in hoc genere proprius. i. Vis Contradictionis speciatim ex affectione rerum demonstratur, & exemplis illustratur. Baiæ oppidum Campaniæ salubribus aquarum calidarum balneis nobilitatum. Mar. lib. epigra. 11. ad Flaccum.

Quomodo Simplex extra Contradictionem iudicatur?

Generalibus Iudicij modis ex rerum affectione & disciplina, de quibus supra.

Quod Axioma Speciale?

Speciale. 7.

Axioma Speciale est, quando consequens non omni antecedenti attribuitur.] Defi. à forma, quæ est consequens de antecedentis parte enunciare. Sic enim de antecedentis parte ait quid aut negat.

Quæ vis iudicij Contradictionis Specialis?

Hic Contradictio semper diuidit verum à falso.] Iudicij modus Contradictionis specialis proprius demõstratur, quod semper alteram partem efficiat veram.

Quottuplex Speciale? Duplex.

Spe. genera. 8.

Speciale est particulare aut proprium.] Diuisio specialis ex particulari & propria affectione.

Quod particulare?

Particulare. 9.

Particulare est quando consequens commune antecedenti particulariter attribuitur.] Def. est à forma; quæ particularis attributio. Itaque notæ ipsius hæ solent doceri: Aliquis, quidam, non omnis, interdum, aliquando, nonnunquam. Sed logica sententiam mente comprehensam spectat; ad quam enunciandam si talis notæ à præstantibus homi-

hominibus adhibeantur, inde etiam vt cætera rerum symbola eas adsumit.

Con. Spe. 10. *Quomodo efficitur Specialis Contradictio?*

Huic axiomati generaliter contradicitur.] Modus contradictionis specialis nominatim informatur: vnde intelligis generali generatim & proprio propriè contradici. Declaratur duobus exemplis ethicis.

Quod Axioma Proprium?

Proprium 11. *Axioma Proprium est, quando consequens antecedenti proprio attribuitur.*] Def. à forma, quæ est Propria antecedentis ad consequens affectio: atque in exemplo contradictionis modus simpliciter declaratur.

Sùntne aliæ Contradictionis species præter Generalem & Specialem?

Non: Aristoteles generalem Contradictionem vocat Contrariam, cùm duo vniuersalia axiomata ita opponuntur, vt quod affirmat alterum, idipsum de eodem alterum neget: quæ vera simul esse non possunt. at falsa possunt. Specialem Contradictionem vocat nomine Generis, Cōtradictionem, cùm vna pars vniuersalis affirmatiua est, vna particularis negatiua, vel contra: quæ neque simul veræ neque falsæ esse possunt. Duæ prætereà in scholas introductæ sunt κακοζηλιά Geometrica, vt scilicet diagramma quadrati compleretur, nempe Subcontrariæ & Subalternæ. Sed neutra veram contradictionem facit. Nam subcōtrariæ simul veræ esse possunt; & hæ argumentum partitionis, non contradictionem faciunt, vt: Aliquis homo est albus, aliquis non est albus: vtraque pars simul vera est, & perinde est ac si diceres Hominum alij sunt albi, alij non sunt albi. Subalternæ autem sunt ambæ affirmationes aut negationes, & quidem specialis generali consequens & cōsentanea; ideoque argumentum generis est ad speciem, vt, Omne verbum est ambiguum: Aliquod verbum est ambiguum, &c. lib. 1. de Interp. cap. 5. & 6. Porro de Modalibus; Conuersionibus, & Pariatione seu Aequipollentia. vide 2. partem.

CAP.

CAP. V. DE AXIOMATE copulato.

AXioma compositum est, quod vinculo coniunctionis continetur. Itaque è coniunctione affirmata vel negata affirmatur vel negatur, contradictionis q; pars vera est, pars falsa.

Enunciatum compositum est pro sua coniunctione congregatiuum aut segregatiuum. axioma

Congregatiuum enuntiat omnia consentanea affirmando, omnia etiam dissentanea negando. Est verò copulatum aut connexum: Copulatum, cuius coniunctio est copulatiua, vt 1. Aeneid.

Vnà Eurúsque Notúsque ruunt, crebérque procellis
Africus.------

Hic igitur negatio erit & contradictio.

Non vna Eurúsque Notúsque ruunt, crebérque procellis
Africus.

Verum enunciati copulati iudicium pendet ex omnium partium veritate: falsum saltem ex vna parte falsa.

Huic generi affine est enunciatum relatæ qualitatis, cuius cõiunctio est ipsa relatio. 3 Eclog.

Tale tuum carmen nobis diuine poeta,
Quale sopor fessis in gramine ----

Hic copulatum iudicium est tanquam diceretur, Sopor est fessis gratus, & sic tuum carmen nobis gratum est: cuius negatio,

Non tale tuum carmen nobis diuine poeta.
Quale sopor fessis in gramine.----

QVAEST. EXPLICAT.

Quod Axioma Compositum?

AXioma compositum est quod vinculo coniunctionis continetur.] Def. est à forma; quæ est in vinculo coniunctionis; quo sic etiam sententia multiplex componitur, vt aliâs definitur. Sic autem perspicuè à simplici distinguitur, quod plura, quam simplicis sententiæ argumenta, coniunctione componi intelligantur. Vinculum Aristoteli συνδεσμὸς 1. de Interp. cap 4. dicitur. Compositum. 1. præc.

Quid

Quid Aristoteles de Composito Axiomate?

Huius doctrinam attigit quidem, sed non explicauit. Græcorum autem peripatheticorum, Theophrasti & Eudemi, atque Latini Boëtij subtilitas mirabilis huc erupit, vt enunciationum compositarum, vel (vt Boetius loquitur) hypotheticarum modi decies milleni colligerentur. Sed Ramus illis commentis præteritis, vera & vsu approbata genera in arte posuit.

Cur nominatur hoc genus Compositum & non hypotheticum?

Nominum collatio.

Ex lege καθόλου πρῶτον generalia etiam generalibus vocabulis sunt explicanda: ideoque quod vinculo coniunctionis ex pluribus sententijs componitur, rectè compositum nominatur; præsertim cùm Hypotheticum. i. conditionale propriè de connexo, aut etiam aliquando de disiuncto dicatur; in Copulatis autem absolutis & discretis conditio nulla sit.

Quomodo affirmatur aut negatur, Contradictio q3 iudicatur?

Contradictio.

Itaque è coniunctione affirmata vel negata affirmatur vel negatur: contradictionis q3 pars vera est, pars falsa.] Consectarium duplex est de Contradictione informanda & iudicanda. Sic enim modus iudicij generalis ad species accommodatur; & de Contradictione semel (hoc enim hîc generale est) proponitur, extra contradictionem autem in singulis Compositi speciebus declaratur. In Compositi contradictionis iudicio nihil generale aut speciale, sed tantum κατὰ διάμετρον, id est quasi coniunctio spectatur: ideoque pars altera semper vera est, altera falsa.

Quot genera Compositi? Duo.

Gen. com. 3.

Enunciatum Compositum est pro sua Coniunctione Congregatiuum, aut Segregatiuum.] Dichotomia Compositi ex Coniunctionis ratione, & aduersis verbis Congregare & segregare: vnde Congregatiuo Copulatum & Connexum; Segregatiuo Discretum & Disiunctum comprehenditur. Atque hinc error peripatheticorum perspicitur, qui Connexum

xum & Disiunctum tantum tradiderunt.

Quod Congregatiuum?

Congregatiuum cuius coniunctio est Congregatiua, vt ex forma Distributioni annexa apparet.

Quæ argumenta & quomodo Congregatiuum enunciat?

Congregatiuum enunciat omnia consentanea affirmando, omnia etiam dissentanea negando.] Explicatio specialis proprietatis de partibus, iisque adiuncto modo, hoc est, quæ argumenta & quo modo Congregatiuo axiomate enuncientur. Sic enim generalis definitio Axiomatis hîc etiam ad speciem certam astringitur. Cong. arg. 4.

Expone illam proprietatem planius.

Congregatiuum est commune omnium argumentorum κριτήριον, quia in genere omnia argumenta enunciat, sed consentanea propriè affirmando, dissentanea negando. Relatum autem quod copulato affine est, Comparatis enunciandis attribuitur. Segregatiuum contra commune κριτήριον erit dissentaneorum.

Quottuplex Congregatiuum? Duplex.

Est enim Copulatum aut Connexum.] Diuisio est congregatiui ex duplici ratione congregandi, nempe copulata & conditionali; quæ duplici Coniunctione distinguitur. Cong. generalia. 5.

Quod Copulatum?

Copulatum est cuius coniunctio est Copulatiua.] Def. est à forma, quæ est vis Coniunctionis copulantis. Coniunctionum enim differentijs Composita genera distinguuntur. Coniunctiones autem sententiarum intellige, quæ etiam Grammaticis illis, sed & relatorum symbolis, tantus, quantus, talis, qualis, is, qui, vbi, ibi, exprimuntur. Copulatum. 6.

Quo exempli genere illustratur?

Poetico, de causis Physicis earúmque effecto, hoc est vētis oppositis flatibus maria turbātibus: cuius negatio prę-

posito

posito symbolo negandi informatur, & sic primi Modi affectio speciatim indicatur.

Quæ vis affirmationis & negationis?

Affirmatio significat omnes partes simul veras esse, vt omnes ventos simul flare: negatio significat non simul veras esse, non simul flare. Negatio enim ipsam Copulam negat. quare vel præponitur, vel inseritur, vt totum neget: vt,

Negationes. Homo est natura logicus & arithmeticus. Affir. est.
Non homo est natura logicus & arithmeticus, vel,
Homo non est natura logicus & arithmeticus.

At si ita dicas: Homo est natura logicus, & non Arithmeticus, Disparatum est, non Contradictio. Quia non negat idem consequens, de eodem antecedente: imo affirmatio est totius, quia Coniunctio (Et) affirmatur; negatio tantum est in particula.

Iudicium copulati. 7.

Quomodo Copulatum iudicatur?

Verum enunciati copulati iudicium pendet ex omnium partium veritate: falsum saltem ex vna parte falsa.] Secundi modi iudiciarij affectio speciatim indicatur, iudiciúmque proprium informatur. Qûia vniuersa vis est in copulata congregatione: requiritur partium coniunctarum veritas nó separatarum hoc est vt simul omnes veræ sint: secus falsum fuerit, vt Homo est doctus & pius: falsum totum sit, si saltem pietas absit. Nam in omni coniuncto si vnum est mẽdacium, etiam si cætera vera sunt, totum esse mendacium dicitur, Gell. lib. 16. cap. 8.

Relatum.

Quod genus axiomatis affine est copulato?

Huic generi affine est enunciatum relatæ qualitatis, cuius coniunctio est ipsa relatio.] Annotatio est de simili specie, quæ sententiæ vi & iudicij ratione copulata etiam est, éaque sua forma, quæ est Vinculi relatio, declaratur.

Quæ relationes hanc vim habent?

Qualitatis, vt talis, qualis: Quantitatis, tantus quantus Loci, vbi, ibi. Temporis autem potius connexa est.

At verò hic nulla videtur esse Coniunctio?

Coniunctio sententiæ est in relationis symbolis; &

quæ sent entiæ sunt copulatæ: vt, Sopor est dulcis sesis in gramine; & sic tuum carmen nobis audientibus dulce est;

Quomodo igitur negabitur?

Præposita relationi negatione & quidem ante totam enunciationem, vt apparet in exemplo pastoritio illo.

Quæ argumenta & quomodo Relatione iudicantur?

Comparata, nempe communibus iudiciarijs modis ad copulati legem adhibitis, vt Relatio ex omnibus partibus veris Vera, iisque necessarijs necessaria, contingentibus cõtingens, secus falsa iudicetur.

Da necessariam.

Ea ex analogijs Mathematicis talis est: vt 2. ad 4. sic 3. ad 6. se habent: subduplæ rationis analogia est necessaria, & sub scientiæ iudicium cadit.

Da Contingentem.

Quale sopor sesis in gramine tale nobis tuum carmen. Contingens relatio est; cuius iudicium, Opinio.

Da falsam.

Vt animantes, ita stirpes sentiunt. Falsa est: vnde Error concipitur.

CAP. VI. DE AXIOMATE connexo.

AXioma connexum est congregatiuum, cuius coniunctio est connexiua, Si, vt, 2. Aeneid.

Si miserum fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam mendacémque improba finget,

cuius negatio est,

Non si miserum fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam mendacémque improba finget.

Coniunctio etiam hæc interdum negatur apertius, negando consequentiam, vt pro Amer. Non continuò si me in sicariorum gregem contuli, sicarius sum. De Fato. Nec si omne enunciatum verum est aut falsum, sequitur illico causas esse immutabiles. Affirmatio enim significat, si sit antecedens, etiam consequens esse. Negatio itaque & contradictio statuit, si sit antecedens, non ideò consequens esse. Quare cùm iudicabis connexum absolutè verum esse, necessarium quoque iudicabis, & intelliges hanc neces-

autem è necessaria partium connexione oriri, quæ ipsa potest esse vel in falsis partibus, vt: Si homo est Leo, est etiam quadrupes necessarium connexum est. At si connexio sit contingens, & pro sua tantum probabilitate ponatur, iudicium eius tantum opinio fuerit, vt Terent. And.

Pamphile, si id facis, hodie postremum me vides.

Connexio axiomati affinis est ista consequentiæ relatio, vt cùm Tullius sit orator, est etiam peritus bene dicendi.

QVAESTIONES EXPLICAT.

Quid Axioma connexum?

1. Connex.

AXioma connexum est congregativum, cuius Coniunctio est connexiua, Si,] Defi. est à genere & forma; quæ est coniunctionis connexio, ideoque communi nota Si, qualitetiam Nisi declaratur. Sæpe, tamen, etiam in sententia absque ea particula connexionis vis est.

Quæ Vocabula & eorum significatio?

Nomina & significatio.

Stoici συνημμένον ἀξίωμα dixerunt: quod quidam Latini Adiunctum, alij Connexum dixerunt, ait Gell. lib. 16 cap. 8. Aristoteles, licet nullam eius doctrinam instituerit, attamen hanc ipsam speciem videtur τὸ συνεχὲς appellare 12 cap. 1 Pri. Cicero Acade. 4. & de fato Connexum dixit. Sic enim consecutio conditione antecedenti connectitur & quasi adiungitur. Hinc vulgò in Scholis Conditionale, verbo si non Latino, cerue legali & iudiciali appellatur. Ramus connexum cum Cicerone dixit, vt ambiguitatem euitaret, cùm ὑπόθεσις & Conditio etiam in alia genera cadat. Enunciatis autem connexis mathematici multum sunt vsui: & sic magna pars elementorum enunciatur.

Cedo exempli rationem?

2. Modus.

Affirmatum connexum Sinonis apud Virgilium negationi, qua se Troianis insinuauerat, opponitur, atque primi modi affectio, hoc est Contradictio duplici negationis forma indicatur.

Quæ duplex illa negationis forma?

Primò negatio simpliciter Coniunctioni præponitur; vt, Non si miser; vanus etiam: Secundò apertius consequentia

quentia seu consecutio tollitur his particulis, Non continuò, Non ideò, Nec sequitur illicò, Nec protinus, Quinct. lib. 2. cap. 21. vt, Non continuò si miser, etiam vanus fuerit. Est autem connexio contingens.

Quibus exemplis altera forma declaratur?

Vno oratorio de rebus politicis, quo respondet Orator obiectioni: Roscius Romæ tum fuerit, cùm cædes fierent; & Connexi consecutionem negat apertius. Altero philosophico de caussis æternis & immutabilibus, vt Chrysippus ex Disiunctione Enunciati affectionum colligebat, cui Cicero sic contradicit. Chrysippus enim colligebat, ita: Si omne Enunciatum verum est aut falsum: etiam causſæ rerum sunt immutabiles, vt nihil secus cadere possit, atque casurum sit. Cicero eam consecutionem contradicendo apertius negat; Non si, &c.

Est ne satis ad consequentem partem Connexi respicere, vt affirmatum vel negatum connexum iudicetur?

Non, sed tota connexio consideranda est: quia potest alia dissensionis species esse vt non sit contradictio, quæ semper est eiusdem de eodem; cùm aliâs consequens negatum de antecedente affirmato possit affirmari: vt, Si homo est, pius est)(Non si homo est, pius est. Contradictio est: At, Si homo est, mortalis est. Si homo est, non est mortalis; Contradictio non est, quia vtrunque consequens affirmatè attribuit, sed prius adiunctum affirmatum, alterum negatum, quod tamen consecutionem non negat.

Quæ vis & efficacia partium Contradictionis? 2.

Affirmatio significat, si sit antecedens, etiam consequens esse: Negatio itaque & Contradictio statuit, si sit antecedens, non ideò consequens esse.]Regulæ de primi Modi, i. Contradictionis vi & efficacia ad formandum iudicium. *Vis affir. & negat.*

Quomodo verum iudicatur connexum axioma?

Duabus regulis de necessario & contingenti connexionis adiuncto.

Quæ prior?

3. Iudi. connexi scientificum.

Cùm iudicabis connexum absolutè verum esse, necessarium quoque iudicabis, & intelliges hanc necessitatem è necessaria partium connexione oriri, quæ ipsa potest esse vel in falsis partibus.] Secundi Modi affectio necessaria hac regula explicatur, cuius fructus est Scientia.

Necessaria Connexio partium Connexum efficit necessarium, etsi separatæ partes non simpliciter veræ sint. Necessaria igitur coniunctio etiam in falsis partibus separatis ostenditur; necessariò enim illa connectuntur, Leonem esse & quadrupedem esse; quare si alterum homini connexione attribuatur, cohærebit & reliquum: At pure & simpliciter neutrum homini tribuetur. Sic enim Connexio παράδοξον efficit, vt integrum sit necessarium, cuius separatæ partes falsæ. Posito enim Connexi antecedente, necessariò sequitur consequens. Ergo annexæ connexionis necessitas non rerum connexarum, sed connexionis necessitate iudicatur.

Quæ altera?

4. Iudi. Opinabile.

At si Connexio sit contingens, & pro sua tantum probabilitate ponatur, iudicium eius tantum opinio fuerit.] Secundi modi affectio contingens hac item regula ab adiuncta connexioni probabilitate & effecto iudicij, quæ Opinio, explicatur. Talis conditio est in illis enunciatis quæ ἐνδεχόμενα contingentia appellantur, quæ ἀκολουθίαν consecutionem probabilem habent.

Quale exemplum est Contingentis?

Comicum de vita communi. Charinus. ſi. Si Pamphilus nuptias cum Pamphila, quam ipse ambiebat, contrahat, colligit futurum vt postremum se hodie videat. Hoc si conditione & quasi pacto auditoris admittatur, parit opinionem; sin non credatur, falsum iudicatur.

Num quid connexo affine est?

Relatio consequentiæ.

Connexo axiomati affinis est ista consequentiæ relatio, vt Cum Tullius sit orator, est etiam peritus bene dicendi.] Annotan-

ratio est de simili specie, in qua relatio vim habet connexionis. Huc etiam Relatio temporis pertinet, vt Eccle. 9. Carmina tum melius, cùm venerit ipse canemus. i. Si ipse venerit, &c. Si Tullius est orator, &c. Notabis in germanica lingua & excellentibus auctoribus illam relationem consequentiæ frequentem esse, atque Propositiones Syllogismorum connexorum sæpe in Epilogis comprehendi. Præterea, vt supra dictum, Connexi vis sæpe in sententia est, atque duobus ablatiuis, aut simili phrasi exprimitur, vt non sint Connexi aut Relati symbola. Hic vsus artium ille Censor attendatur. *Temporis.*

CAP. VII. DE AXIOMATE discreto.

AXioma segregatiuum est, cuius coniunctio est segregatiua: ideoq; argumenta dissentanea enunciat.

Enunciatum segregatiuum est discretum aut disiunctum. Discretum, cuius coniunctio est discretiua. Itaque è dissentaneis præcipuè diuersa enunciat. 5. Tusc. Quanquam sensu corporis iudicentur, ad animum referri tamen: cuius negatio & contradictio est: Non quanquam corporis sensu iudicentur, tamen ad animum referri: vel, quanquam sensu corporis iudicentur, non tamen ad animum referri. Nam, tamen, est hic coniunctio præcipua.

Discretum enunciatum iudicatur esse verum & legitimum, si partes non solùm veræ, sed etiam discretæ sint: falsum vel ridiculum contra.

QVAESTIONES EXPLICAT.

Quod Axioma segregatiuum?

AXioma Segregatiuum est, cuius Coniunctio est Segregatiua.] Def. à forma, quæ est coniunctionis segregatio. Congregatiuum partes congregat; Segregatiuum segregat; ideoque formarum differentia opponuntur. 1. *Segregatiuum.*

Quæ argumenta enuncias?

Ideoq; argumenta dissentanea enunciat.] Consectarium est de proprietate partium siue argumentorum subiectorum vnde partes constituuntur. Vt enim Congregatiuum in genere & propriè Consentanea congregando enunciat; Sic 2. *Argumenta Segre.*

Segregatiuum Dissentanea segregando. Hoc Aristoteles contra legem καθόλου in vna specie nempe in Disiunctiuo posuit, Ramus quia generale est generi attribuit.

Quottuplex Segregatiuum? Duplex.

Enunciatum Segregatiuum est Discretum aut Disiunctum.] Dichotomia, vt supra Congregatiui, speciésque coniunctionum differentijs distinguuntur.

3. Gen. Seg.

Quod Discretum?

Discretum, est cuius coniunctio est discretiua.] Definitio est à forma; quæ est Coniunctio discernens & distinguens. Discernere est secernere, distinguere & diuidere.

um.

Quæ argumenta discretiuum enunciat?

E dissentancis præcipuè diuersa enunciat.] Consectarium est de proprietate argumentorum huic speciei præcipuè propositorum.

Quale hîc exemplum?

Exemplum est Philosophicum de re Physica. i. voluptatis perceptione. Disputat enim Tullius philosophiam Epicuri de voluptate, qui censebat, hac vsurum compensatione sapientem, vt voluptatem fugiat, si ea maiorem dolorem effectura sit: & dolorem suscipiat, maiorem efficientem voluptatem: omniáque iucunda quanquam sensu corporis iudicentur, ad animum referri tamen.

4. Iudi. Opin bile.

Quomodo hîc primus iudicij modus accommodatur, hoc est quomodo contradicitur?

Si negatio præponatur ipsi Cõiunctioni nempe Quanquam, vel, Tamen. Quia negatio fit in Compositis negãdo Coniunctionem, quæ hîc præcipua est, Tamen.

Quomodo Discretum opponitur copulato vel connexo?

Videri potest vtriusque negatio seu Cõtradictio, vt Copulato, Ille abest à culpa, & caret suspicione, Connexo, Si abest à culpa, caret suspicione; contradicis per discretum: Quanquam abest à culpa, tamen suspicione non caret.

Quomodo

Quomodo secundus modus accommodatur, hoc est quomodo verum indicatur?

Discretum enunciatum iudicatur esse verum & legitimum, si partes non solum veræ, sed etiam Discretæ sint: falsum vel ridiculum contra.] Iudiçium secundi modi indicatur ex partibus veris & distinctis. Discretum hoc commune habet cum Copulato, vt partes verę sint omnes; at hoc proprium, vt etiam sint discretæ, hoc est quæ per naturam possint & soleant discerni. Ridiculum enim fuerit ea segregare, quæ naturâ coniunguntur & consentiunt: vt, Quanquam Socrates est homo, tamen est animal rationale: hæc enim nõ possunt discerni, sed connecti omnino debent. Aristoteles hoc de disiunctis dixit, ridiculum fore, si quis interroget disiuncta, quæ coniuncta sint. 6. Iudicium.

CAP. VIII. DE AXIOMATE Disiuncto.

AXioma disiunctum est axioma segregatiuum, cuius coniunctio est disiunctiua: vt 1. *Georg.*

Illic, vt perhibent, aut intempesta silet nox
Semper, & obtenta densantur nocte tenebræ,
Aut redit à nobis aurora, diémque reducit.

De Fat. Omnis enunciatio est vera aut falsa. Hic significatur è disiunctis vnicum verum esse. Negatio igitur erit & contradictio: Non omnis enunciatio est vera aut falsa. Et contradictione significatur non necessariò alterutrum verum esse. Nam si disiunctio absolutè vera est, est etiam necessaria: partésque disiunctæ sunt oppositæ sine vllo medio. Veruntamen quamuis absolutè vera disiunctio, necessaria quoque sit: tamen nihil necesse est partes separatim necessarias esse: vt,

Homo est bonus vel non est bonus, disiunctio necessaria est: & tamen, Homo est bonus, non est enunciatio necessaria: Item, Homo non est bonus, non est enunciatio necessaria: sed disiunctionis necessitas pendet è necessaria partium oppositione & disiunctione, non ex earum necessaria veritate. Disiunctio autem plerunque est ex conditione, vt si quæratur, vtrum Cleon venerit, an Socrates: quia ita pactum sit alterutrum tantum venturũ esse. Itaque si disiunctio sit contingens, non est absolutè vera.

& tantum opinabilis est; qualis est frequenter in hominum vsu. Ouid in Epist. Leandri.

Aut mihi continget fœlix audacia saluo,
Aut mors solliciti finis amoris erit.

QVAESTIONES EXPLICAT.

Quod Axioma disiunctum?

Disiunctum.

Axioma disiunctum est axioma segregatiuum, cuius coniunctio est disiunctiua.] Definitio à genere & forma; quæ est Cõiunctio disiungens, cuius notæ, Aut, Vel. Nam sic per disiunctionis notam conceptum de incerta parte affirmat. Gellius διεζευγμένον ἀξίωμα græcè, latinè disiunctum proloquium, Cicero vno nomine Disiunctionem appellat.

Quæ argumenta enunciat?

Disiunctio è dissentaneis præcipuè verõque iudicio contraria medio carentia enunciat. Absolutè autem consentanea enunciare non potest, nisi alterum negando, vt, Aut non est ignis, aut vrit. Vt enim; Discretum respondet copulato, Sic Disiunctum Connexo. Connexum enunciauit omnia absolutè Consentanea affirmando; enunciare non potuit dissentanea medio carentia nisi alterum negando. Disiunctio contra, Dissentanea medio carentia enunciat affirmando; absolutè consentanea enunciare non potest, nisi alterum negando.

Cedo exemplorum analysin.

Primum est poëticum de rebus Physicis seu Astronomicis. Sub Arcto aut est nox perpetua per sex menses, aut dies per totidem.

Alterum est logicum de immediatis Enunciati affectionibus: quod apud Ciceronem est Assumptio Syllogismi in disputatione Chrysippi de motu: Si est motus sine Caussa, non omnis enunciatio aut vera est, aut falsa. Caussas enim efficientes quod non habebit, id nec verum nec falsum erit. Omnis autem enunciatio aut vera aut falsa est. Motus ergo sine caussa nullus est. Sed hic simpliciter vt aliud quoddam enunciatum disiunctum ex contrarijs pro exemplo spectatur.

Quæ

Qua affirmationis disiuncta vis & efficacia?

Hîc significatur è disiunctis vnicum verum esse.] Primi modi affectiones particulatim duabus regulis explicantur: éstque hæc prima de vi affirmationis, quòd è disiunctis non amplius vnû verum sit: quod de legitimis & absolutis, non de fortuitis aut ineptis disiunctionibus intelligendum est. Hanc regulam Cicero in Topicis & Arist. cap. 5. lib. 10. Philos. confirmant. Hic enim ideo per πότερον i. Vtrum, interrogari oppositionem monuit, vt, vtrum albus est, an niger? Nam in reliquis rebus vtrum locum non habet, sed ineptum est, vt, vtrum homo est, an Album; nisi ex conditione, suppositione seu pacto: vt, vtrum venit Cleon, an Socrates? Si ita constitutum sit alterum venturum. Attamen in his nihilominus contingens est; in oppositis sine medio necessarium: vide Gellium. 2. *Vis affir.*

Qua hîc Contradictionis ratio & efficacia?

Si negatio præponatur ipsi coniunctioni rectè contradicitur; Et contradictione significatur non necessariò alterutrum verum esse.] Secunda regula est de forma & efficacia contradictionis. 3. *Contradi.*

Quomodo iudicatur disiunctio?

Duabus regulis ad secundum modum iudiciarium iudicium distinguitur: quibus vera iudicatur absolutè aut ex suppositione.

Qua prior regula?

Si disiunctio absolutè vera est, est etiam necessaria; partes disiunctæ sunt oppositæ sine vllo medio: quia disiunctionis necessitas pendet è necessaria partium oppositione & disiunctione, non ex earum necessaria veritate.] Prima regula de absolutè vera & scientifica duplici proprietate constat, si necessaria sit, & ex oppositis sine medio: & deinde efficientia necessitatis in partium oppositarum disiunctione, per dissimilitudinem separatarum declaratur, & exemplo perspicuo demonstratur. Quæ igitur disiunctiones tales non sunt, 4. *Iud. scient.*

ex, nec absolutè simplicitérque veræ, sed vel falsæ & ineptæ, vel ex pacto, conditionéque veræ & contingentes indicantur, vt paulo post dicetur. De illis igitur illud Aristotelis πότερον proptiè quærit, de his non item nisi duo ex hypothesi opponantur.

Quæ altera regula?

5. Iud. epi. *Disiunctio autem plerunque est ex conditione, vt si quæratur &c,*] Altera regula de vera ex hypothesi, adiuncta probabilitate & dissentaneo explicatur, atque admonitione de frequenti vsu exemploque illustratur. Huius igitur fructus est Opinio.

Quid est hypothesis seu conditio?

Cùm aliquid ex pactione quadam, & lege aliter statuitur vel sumitur, quam sua natura & per se esset. Sic si ita pactum & decretum sit Cleonem aut Socratem, alterutrum non vtrunque venturum, rectè ita disiungitur, & quæritur, vtrum? Attamen nihilominus iudicium est Opinio. Sic Leander ex conditione sui amoris disiunxit duo, quorum putabat alterum euenturum; cùm tamen aliter cadere potuisset: ideoque disiunctio opinabilis erat. Is autem Heronis amore captus Abydo ex Asia interiectum Hellespontum, Sestonad oppositum in Europa littus amicæ gratia nauigans, submersus est.

Potest ne disiunctio ex pluribus quam duabus partibus vera esse?

Potest quidem, cum videlicet dichotomia duorum absoluta ignoratur, aut vsus plura in disiunctionem offert.

Hæc igitur axiomata de iudicio disiunctionis diligenter sunt tenenda, vt errores grauissimi, in quos Epicurus, Diodorus, Chrysippus & Cicero lapsi euitentur. vide Ramum in Cic. lib. de fato.

CAP. IX. DE SYLLOGISMO, & eius partibus.

ATque eiusmodi iudicium est axiomaticum axiomatis per se manifesti, sequitur dianoeticum.

Dianoia

Dianoia est, cum aliud Axioma ex alio deducitur: est autem Syllogismus aut methodus.

Syllogismus est dianoia, qua quæstio cum argumento ita disponitur, vt posito antecedente necessario concludatur. Nam cum axioma dubium sit, quæstio efficitur, & ad eius fidem tertio argumento opus est, cum quæstione collocato.

Syllogismi antecedens partes duas habet, propositionem & assumptionem.

Propositio est prima pars antecedentis, qua quæstionis salsem consequens cum argumento disponitur.

Assumptio est secunda pars antecedentis, quæ assumitur è propositione.

Syllogismi autem pars consequens est, quæ complectitur partes quæstionis, eámque concludit: vnde complexio & conclusio dicitur.

Si qua pars syllogismi defuerit, enthymema dicitur: si quid præter illas tres partes accesserit, prosyllogismus. Partium etiam ordo sæpe confunditur: attamen si qua dubitatio propterea fuerit, explenda, quæ desunt: amputanda quæ supersunt, & pars quælibet in locum redigenda est.

QVAEST. EXPLICAT.
Quid deinceps sequitur?

ATque eiusmodi iudicium est Axiomaticum axiomatis per se manifesti, sequitur Dianoëticum.] Transitio perfecta à primo & simpliciſsimo iudicij genere, quod adiuncto clauditur, ad secundum: illud est de vno Enunciato, hoc de multis. Axiomatis enim legibus Axiomata per se clara & manifesta sigillatim iudicantur & intelliguntur: dubia autem ad syllogismi tribunal reijciuntur.

An in Axiomatis sit aliquod iudicium, & non in solæ Argumentatione?

Imo in Axiomatis iudicium est non solum primum, sed penè totum; & certè totius reliqui iudicij fundamentum. Hoc enim tum certa argumentorum affectio intelligitur, tum omnium artium principia, omnesque omnino enunciationes claræ & manifestæ iudicantur; imo omnes etiam Quæstiones, quibus responderi non potest,

Ita

Ita vel Non, vt, Quid eſt? quæ partes? quale eſt? vbi eſt? quando veniet? hoc iudicio explicantur. Nam ſi reſpondeas quod quæritur, auditor acquieſcit. Poſtremo quicquid deinceps Syllogiſmo vel Methodo iudicatur, ope primi iudicij iudicatur. Ergo ineptum & puerile eſt, nullum iudicium agnoſcere præter argumentationem: & perinde eſt, ac ſi quis omnẽ Grammaticæ vſum ad vnam præſtantem regulam Syntaxeos referret.

Quid eſt Dianoia?

2. Dianoia. *Dianoia eſt cùm aliud Axioma ex alio deducitur.*] Definitio eſt à genere intellecto, quod eſt Diſpoſitio; & forma, quæ eſt enunciatorũ ex enunciatis deductio & collectio. Primũ enim iudicium Axioma quodlibet ex argumentis confectum ſeparatim iudicat: ſecundum axiomata plura ita collocat, vt inde conſequentiam vel ordinem iudicet.

Quid ſignificat διάνοια.

Dianoia eſt mentis iudicium, & rationis diſcurſus, quo concluſio vel ordo ex alijs deducitur & efficitur. νοῦς enim iudicium Enunciata αὐτόπτως & per ſe manifeſta; διάνοια dubia ſyllogiſtico diſcurſu, vel per ſe aut ſyllogiſtico iudicio manifeſta Methodi ordine iudicat.

Quottuplex eſt Dianoia? Duplex.

2. Genera Dianoiæ. *Syllogiſmus aut Methodus.*] Dichotomia eſt ſecundi generis in proximas ſpecies, quæ aliâs loco generis innominati collocantur.

Quid eſt Syllogiſmus?

3. Syllog. *Syllogiſmus eſt Dianoia, qua quæſtio cum argumento ita diſponitur, vt poſito antecedente neceſſario concludatur.*] Definitio eſt Syllogiſmi à genere, quod eſt Dianoia, vel remotius Diſpoſitio, & forma; quæ eſt quæſtionis cum argumento in antecedente collocatio neceſſariam efficiens conſequẽtiam. Sic enim ſubiectis in quibus conſiſtit, informatur; vnde partes, Antecedens & Conſequens per ſe intelligũtur. Neceſſitas enim Diſpoſitionis è natutæ fundamentis conſtituta efficit neceſſitatem Complexionis. Itaque vt Con-

nexum

verum & Disiunctum Axioma verum è tota connexione & Disiunctione partium etiam falsarum iudicabatur: Ita etiam syllogismus ex necessitate collocationis, concludit, vt antecedens concedi non possit, quin consequens etiam admittatur, imo è falsarum partium necessaria collocatione potest consequentiam efficere necessariam. Quare syllogismi necessitas pendet è dispositionis constantia & firmitate, ideoq; hac proprietate rectè definitur. De syllogismo Arist. duobus libris priorum Analyticarum præcipit.

Sed vnde est illa argumenti cum Quæstione collocationis necessitas?

Notio quædam in hominũ mentibus est insita, à Geometris Axioma nominata, atque ex cõparatorum fonte deriuata est, vt quæ in tertio aliquo conueniant, eadem etiam inter se necessario conueniant: quæ vero in illo tertio non conueniant, ea nec inter se conueniant. Quemadmodum ex res quæ pondere, numero & mensura constant, adhibita libra, aut mensura aut calculis protinus dijudicantur: sic cum Enunciatio aliquid de alio affirmet vel neget, de quo dubitetur; si medium aliquod i. tertium argumẽtum cum ambabus enunciationis partibus conueniat, veram esse affirmationem ostendit; sin cum vno tantum, veram esse negationem. Itaq; medium est tanquam Lumen, quo ea omnia quæ in Quæstionibus obscura sunt illustrantur: qua de causa syllogismus ex perspicuis dubia illustrat.

Quomodo ex definitione partes intelliguntur?

Quia ex antecedenti concludi definitur: inde Pars alia Antecedens, alia Consequens.

Quæ Antecedens?

Quæ collocationem Quæstionis cum tertio argumẽto causãmque concludendi continet, & sic iudicium facit.

Quæ Consequens?

Quæ partes Quæstionis & quasi sententiam iudicij colligit.

Quæ ratio & significatio nominis?

Syllogismus proriè videtur calculum Arithmeticum significare, vt collectionem summæ, quæ initis subductisq; rationibus conficitur. Hinc Aristoteles ipse translatum esse verbum *Nomen.*

verbum oſtendit, nempe ex calculatorum ratiocinationibus; cum ait 2. cap. 6. Top. eſſe tanquam συλλογὴν τὴν ἐπαγόμενον hoc eſt collectionem ſummæ: qua de cauſſa ratiocinatio latinè à Cicerone appellatur: & Quintilianus 6. ca. lib. Syllogiſmum collectiuum interpretatur. Reſpondet autē hoc iudicium præcipue illi regulæ quam auream vocāt: ſed hæc verè aurea & diuina iudicādi regula eſt. λογισμὸς pro eodem in Ariſt. ſæpe legitur, vnde etiam παραλογισμὸς compoſitum. i. Syllogiſmus fallax & captioſus; atque λογιστικὴ propriè pro Arithmetica dicitur. Dialectici præterea hoc Quæſtionis iudicium per tertium argumentum Argumentationem nominant; & eius plures formas enumerant, de quibus parte 2. reſpondebitur.

Cur definitur Syllogiſmus per Quæſtionem & argumentum?

4. Quæſtio. *Nam cum Axioma dubium ſit, quæſtio efficitur, & ad eius fidem tertio argumento opus eſt cum Quæſtione collocato.*]Illuſtratio eſt ſubiectorum Syllogiſmi ab eorum definitionibus à formis.

Quidigitur hic Quæſtio eſt?

Quæſtio eſt Axioma ſeu enunciatum dubium probationis indigens.

Quomodo græcè nominatur?

Ἐρώτημα, ἐρώτησις, πρόβλημα, ζήτησις, πρᾶγμα, τὸ ἐξ ἀρχῆς. Interrogatio, Propoſitum, Qnæſtio, Res, quod erat ex principio.

Num omnis Quæſtio Syllogiſmi iuriſdictioni & concluſioni ſubiecta eſt?

Non; ſed tantum enunciatum dubium huc attinet, ſiue ſimplex, ſiue compoſitum. Omnis enim Quæſtio ad quam reſponderi non poteſt, Ita vel Non, ad enunciati tribunal pertinet. De Quæſtionum generibus vide 2. partem.

Quod tertium argumentum?

Ter. arg. Tertium argumentum eſt quod cum Quæſtione ad eius fidem ſyllogiſmo colloçatur.

Cur tertium nominatur?

Quia cum omne Axioma duobus argumētis extremis, vno

vno antecedente, & altero consequente constet: hoc nudè adhibitum Tertium est, nempe ex illorum affectione excogitatum: quod ad vtriusque vel conuenientiam vel discrepantiam dijudicandam quasi Arbiter honorarius adhibetur, ideoque etiam μέσον medium nominatur, quod quæstionis extrema necessario inter se vel connectat vel disparet. Et sic Medius terminus metaphoricῶς; quia quæstionis partes termini etiam nominantur. Sed quia terminus à Mathematicis, & μέσον à continua similitudine metaphoricè dicitur: Ramus vt & alienas dissimilésque & obscuras translationes euitaret; atque analogiam in Dialectica doctrina seruaret, latinè omnis enunciati partes argumenta, & Quæstionis probationem argumentum tertium nominauit.

Quot igitur in Syllogismo sunt argumenta seu termini?

Argumenta tria, nempe duo extrema Quæstionis, & tertium probationis, vt satis ex definitione Syllogismi & eius illustratione intelligitur, nec peculiarem explicationem requirit. Ergo hinc refutatio Captionis & vitij sumatur, si quatuor sunt termini. i. tertium argumentum, aliud in Propositione, aliud in Assumptione: vide 2. partem. *Tres termini.*

Verum tres illi termini tribus etiam vocabulis exponuntur, an etiam longiore orationis ambitu circumscribuntur?

Id quærere ad logicam nil attinet: sensa notionésque mentis tibi sunt argumenta; quæ an vno symbolo vel pluribus exprimantur, nihil ad logicæ doctrinam attinet. Imo sæpe, vt comparationes, distributiones, & definitiones pluribus verbis omnino enunciantur, & tamen argumẽta singula sunt. Siue igitur vno siue pluribus verbis ad singula vtaris, tu iudicij leges Simpliciter sequere.

Vnde tertium illud argumentum seu Medium inuenitur?

Ex eadem communi Inuentione, vnde cuiuslibet Enũciati partes inuentæ & depromptæ sunt. Quæritur autem affectione partium quæstionis, hoc est respectus considerationem, vt si cogites, quæ sit huius vel illius partis Causa, vel *Inuentio tertij seu medij.*

Effectum

Effectum, &c. Et ad copiam Conclusionum parandam, argumẽta seu partes quæstionis per locos deducuntur. i. earum affecta argumenta omnia inuestigantur. Et hinc noua rursus copia & facultas existit; cum ad partem aliquam Syllogismi, vt Propositionẽ vel Assupmtionem declarandam vel comprobandam, rursus ex eius affectionibus alia argumenta quæris, quæ prosellogismos faciunt, de quibus paulo post. Atque huc sua sponte incidunt, quæ separatim & operose quidam tradunt de copia Propositionum, thesium, hypothesium, &c. vide 2. & 3. part. Ergo odiosa est tautologia, & prorsus superuacanea, Medij Inuentionem repetere, & cum Syllogismi doctrina confundere, vt Arist. 29. cap. 1. Pr. facit, vbi è definitionibus Syllogismorum ipsorum locos inueniendi Medij tanta obscuritate efficit, vt ibi pons asinorum in Scholis collocetur.

Quot post Definitionem sunt in Syllogismi explicatione consideranda?

Tria. 1. Partes. 2. Affectiones communes. 3. Species.

Partes antecedentis.

1. *Syllogismi antecedens quot partes habet?*

Syllogismi antecedens partes duas habet, Propositionem & Assumtionem.] Partitio antecedentis per dichotomiam quasi in partem, principem & ministram. Prior enim quasi commune fundamentum est; altera illud ad propositum magis accommodat. Duas tantum Antecedentis partes esse differit Arist. 26. cap. 1. Pr. & si quid præterea sit συλλογισμὸν esse.

Quomodo coniunctè pars vtraque nominatur?

Antecedens, etiam altera, si vna absit in Enthymemate. Item Sumptiones vel præmissæ vulgò. Aristoteli διάστημα. i. Interuallum metaphora mathematica & dura: item πρότασις propositio, & distinguuntur à Quæstionis partibus, Interuallum Maius, Minus, Propositio maior, minor. Sed prior latinè Propositio, quæ græcè πρότασις, altera Assumtio, græcè λῆμμα, à Cicerone & Quintiliano rectè nominatur.

Qui

Quid Propoſitio?

Propoſitio eſt prima pars antecedentis, qua Quæſtionis ſaltem conſequens cum argumento diſponitur.] Defi. eſt à toto & forma ſubiectis rebus informata, quæ eſt collocatio ſaltem vel minimum Conſequentis è quæſtione cum tertio argumento, vt in Syllogiſmo ſimplici; vnde intelligitur aliquãdo etiam integram Quæſtionem cum illo hîc coniungi, vt in Compoſito Syllogiſmo; vbi tamen magis argumenti vis ad conſequentem videtur referri. Itaq; ab ea parte, quam ſemper complectitur, & præcipuè reſpicit, rectè definitur. 6. *Propoſitio.*

Quid Aſſumptio?

Aſſumptio eſt ſecunda pars antecedentis quæ aſſumitur è propoſitione.] Definitio à toto & forma duplici, quæ eſt ſecundo originis gradu eſſe, & è Propoſitione tanquam fundamento aſſumi propiúſque ad inſtitutum accommodari. Vt enim aliquid pro conceſſo ſumitur, ita hîc ad intentionem aſſumitur. 7. *Aſſumptio.*

Cur non definitur etiam à diſpoſitione tertij argumenti cum aliqua quæſtionis parte?

Quia aliquando tertium argumentum ſolum aſſumitur in Syllogiſmo compoſito: Semper enim illud aſſumitur è propoſitione, atque in ſimplici Syllogiſmo ad Quæſtionis antecedentem partem accommodatur, in Compoſito vel cum ea, vel ſolum Aliquando è propoſitione ſumitur.

At ſic non tota ſemper è Propoſitione ſumitur?

Præcipua vis Aſſumptionis eſt in argumenti ſumptione & accommodatione; quæ etiam fit, nempe ad intẽtionem, quando ſolum aſſumitur: ideóque rectè à præcipua & perpetua proprietate definitur.

Quomodo ab aliis nominatur?

A Stoicis προσλημψις, à peripateticis μετάλημψις, & ab Ariſtotele etiam πρότασις ἐλάττων propoſitio minor, vt Propoſitio πρότασις μείζων maior appellatur. *Nomina Aſſ.*

Vnde Propoſitiones Syllogiſmorum ſumuntur, & quomodo earum ἀπορία facultas & affluentia comparatur?

Tu tertium argumentum è locis Inuentionis ſumptum

cũ Quæstione ex Syllogismi legibus disponas, & ita Propositionem efficies: quæ ita tamen sua sponte te etiam inscio erit regula, lex vel Axioma alicuius artis vel disciplinæ, ad quam Quæstionis natura pertinet. Quia omnes fere res, quæ argumenta sunt, suis iam artibus, scientijs & disciplinis sunt comprehensæ: & illa decreta seu regulæ non solũ prima sunt suæ veritatis iudicia: sed sunt etiam propositiones & fundamenta iudiciorum Syllogisticorum, quæ postea concludimus in specialibus & inde deductis rebus. De Εὐπορίᾳ igitur logica nihil præcipiet, cùm tantum Instrumentum præparet, sed monemur communiter differenti rerum cognitionem & copiam esse necessariam, & è suis fontibus hauriendam.

Qua Consequens pars?

8. Consequens. *Syllogismi pars Consequens est, quæ complectitur partes Quæstionis, eamq; concludit: vnde complexio & conclusio dicitur.*] Definitio à toto & forma duplici cõiugatis expressa, quod complectatur colligátque separatas partes quæstionis, & eam concludat. i. iudicij lentẽ etiam quasi pronuntiet. Hinc vulgò, Medius terminus non ingreditur in Conclusionem: quanquam à poëtis & oratoribus aliquando iteratur.

Quomodo nominatur?

Aristoteli συμπέρασμα à συμπερένω concludo: Stoicis ἀξίωμα Illatio: Ciceroni & Quintiliano Complexio & Conclusio: alijs etiam Consequens & Consequentia præsertim in Enthymemate dicitur. Conclusio autem etiam Synecdoche partis totam argumentationem & aliquando Perorationem epilogúmque significat.

2. Affectiones. *2. Quid deinceps sequitur Partium explicationem?*

Communis proprietatis, seu affectionis expositio: quæ deinceps in omnes species cadit, ideóque hoc loco logicè ex lege tertia ponitur.

Quæ illa affectio communis?

Ea est Κρύψις. i. Occultatio, qua aliquid in propositis partibus quasi occultatur. i. prætermittitur, additur, vel traijcitur. vide 2. Prio. cap. 20. & 8. Top. cap. 1.

Quæ

Quot sunt modi κρύψεως occultationis?

Tres.

Ellipsis, Redundantia, Inuersio seu Traiectio: quibus breuissimè comprehensis, magna historia variorum dogmatum continetur.

1. *Quæ Ellipsis?*

9. *Enthymema.*

Si qua pars Syllogismi defuerit, Enthymema dicitur.] Definitio à forma, quæ est partis defectio. Hinc Enthymema definitur Syllogismus imperfectus, mutilatus, truncatus 2. Pr. cap. 17. Aristoteles autem Enthymema ex verisimilibus & signis: Cicero omnem sententiam, & præcipuè cõclusionem ex contrarijs efficit: sed vtérque minus anguste: cùm sit è quocunque argumenti genere Syllogismus parte de tribus aliqua truncus & imperfectus.

Quis Enthymematis vsus?

Enthymematis referta sunt in bonis auctoribus omnia: de Syllogisticis quæstionibus vix millesimam pleno syllogismo concluſam inuenies. vide 2. & 3. par.

2. *Quæ Redundantia?*

10. *Prosyll.*

2. *Si quid præter illas tres partes accesserit, prosyllogismus dicitur.*] Definitio prosyllgismi à forma, quæ est, ad principes syllogismi partes exornandas, illustrandas, augendas vel approbandas accedere. Neque. n. tantum approbationes necessariæ sic vsurpantur, sed quæcunq; ad propositum aliquid adferunt.

Cur dicitur προσυλλογισμος?

Quia est quasi præcurrens ratio, & anteposita conclusioni approbatio: sic enim Aristoteli Syllogisticæ partis exornatio aliqua vel approbatio dicitur ad 26. cap. 2. Prio. vnde etiam πρόθεσις additio nominatus est. Adhibetur etiam ad occultandum, ne res concludenda præponatur, ne antecedentis partes continuentur, sed rebus alienis misceãtur, affectúque vario turbentur: vt cùm quæstio concludetur quæratur propter quid; quod totum omnibus quidem argumentis, sed præcipuè Rhetoricis ornamentis efficitur. Vide Cic. lib. 2. ad Heren. & lib. 1. de Inuent.

3. Quæ Inuersio.

11. Inuersio.

Partium etiam ordo sæpe confunditur.] Definitio quædam à forma, quæ est partium traiectio, vt Complexio vel Assumptio præcedat, Propositio media vel postrema sit.

Sed quomodo ars triplicem illam crypsin iudicat?

12. Iud. crypseos.

Si qua dubitatio propterea fuerit, explenda quæ desunt, amputanda quæ supersunt, & pars quælibet in locum redigenda est.] Cautio est ex artis ipsius legibus de crypticis illis iudicandis & explicandis: vbi magna ad intelligendos & exponendos bonos auctores accuratione opus est.

CAP. X. DE SYLLOGISMO simplici contracto.

Syllogismus est simplex aut compositus. Simplex, vbi pars consequens quæstionis disponitur in propositione: pars antecedens in assumptione: estque affirmatus è partibus omnibus affirmatis, negatus è negata antecedentium partium altera cum complexione: generalis è propositione & assumtione generalibus: specialis ex altera tantum generali: proprius ex vtraque propria. Simplex syllogismus est contractus partibus, vel explicatus.

Contractus, quando argumentum pro exemplo ita subijcitur particulari quæstioni, vt vtramque partem antecedens & assumptione affirmatum intelligatur.

Quædam confidentia est virtus, vt constantia,
Quædam confidentia non est virtus, vt audacia.

Hic enim argumentum quæstionis vtramque partem antecedere intelligitur, tanquam esset expressum. Constantiam esse virtutem & confidentiam, ideoq; quandam confidentiam esse virtutem: item audaciam non esse virtutem, & tamen esse confidentiam, ideoq; quandam confidentiam non esse virtutem. Sic vsus disserendi magister syllogistici iudicij contrahitur, nec aliter explicatur. Atque ista expositio principium syllogismi partibus explicati ab Aristotele efficitur, tanquam per se pleno syllogismi iudicio sit clarior & illustrior.

QVARTI

QVAESTIONES EXPLICAT.

Quottuplex Syllogiſmus? Duplex.

1. *Genera Syll.*

Syllogiſmus eſt Symplex aut Compoſitus.] Diuiſio eſt in duas ſpecies, ex Theophraſto, Eudemo & Boëtio: quæ nominibus quidem Axiomatis ſpeciebus reſpondent, ſed definitionibus proprietatum diſsimiles ſunt, cum non ſemper ſimplex Syllogiſmus ſit ex Axiomatis ſimplicibus, ſed etiã ex Compoſitis.

Quis Simplex?

2. *Symplex.*

Simplex vbi pars conſequens quæſtionis diſponitur in propoſitione: pars antecedens in Aſſumptione.] Definitio ſimplicis eſt à forma ſpeciali, quæ eſt diſpoſitio ſimplex partiũ quæſtionis ſeparatarum, nempe Conſequentis in propoſitione, Antecedentis in Aſſumptione, vtrobique cum tertio argumẽto vt patet ex generali definitione. Atq; hæc ſimplex & ſeparata diſpoſitio etiam poteſt eſſe in Cõpoſitis enũciatis.

Quomodo affectiones ſeu modi Simplicis diſtinguuntur?

Dupliciter; Primò ex Axiomatis communibus primi modi affectionibus in Affirmatum, & Negatum; deinde è Simplici enunciati differentijs, in Generalem, Specialem, & Propriũ. Et quia hæ affectiones deinceps omni Syllogiſmo Simplici ſunt cõmunes, primo loco poſt generis definitionem explicantur. Si igitur conſtiterit ſimplicem eſſe Sylogiſmum, ſtatim videndum qualis ſit, vel cuius affectionis & modi; nempe, an Affirmatus generalis, ſpecialis vel proprius; an verò Negatus generalis, ſpecialis vel proprius. Atque hæc breui & perſpicua doctrina ficti illi Ariſtotelis modi, eorúmque definitiones comprehenduntur. *Modi.*

Quis affirmatus?

3. *Affirmatus.*

Affirmatus eſt è partibus omnibus affirmatis.] Definitio eſt à forma, quæ eſt omnium partium affirmata affectio.

Quis negatus?

4. *Negatus.*

Negatus è negata antecedentium partium altera cum Complexione.]

plexione.] Def. est è forma duplici, quæ est negata affectio alterius partis in antecedente, & Complexionis, vt altera omnino sit affirmata: quæ autē illa sit, quia non est vniusmodi, deinceps per species docebitur. Hinc vulgò illa Maxima: Ex omnibus negatis nihil sequitur.

Quis Generalis?

5. *Generalis.* *Generalis è Propositione & Assumptione generalibus.*] Def. à forma vtrique antecedentis parti communi, quæ est vniuersa & generalis affectio: cui talis etiam respondet Complexio, excepta vna specie nempe Syllogismo Contracto, qui nihil vniuersè concludit.

Quis specialis.

6. *Specialis.* *Specialis est ex altera tantum generali.*] Def. à duplici antecedentis forma, vnius partis generali, alterius speciali affectione. Hinc vulgò Maxima: Ex puris particularibus nihil efficitur.

Quis proprius?

7. *Proprius.* *Proprius ex vtraque propria.*] Def. à forma vtrique antecedentis parti communi, quæ est vtriusque affectio propria. Secus si Assumptio & Complexio tantum propriæ sint, pro Specialibus habentur, Specialísque Syllogismus dicitur. Teneantur igitur hæ quinq; affectionum seu Modorum definitiones: quæ breuissimè & facilimè vniuersam doctrinam Modorum, qui vulgo fictis vocabulis docentur, itemque Axiomata illa (Ex omnibus negantibus & particularibus nihil efficitur &c) continent.

Modi.

Sed quænam illa ficta Modorum Vocabula?

Vocabula ficta. Vocabula quædam adiuuandæ memoriæ Causſa excogitata sunt, in quibus quatuor primæ vocales, modorum affectiones & quantitates qualitatésque designant: nempe A affirmationem vniuersalem: E negationem vniuersalem: I affirmationem: O negationem particularem. Cōsonantes autem Reductiones (vt secunda parte amplius conferemus) indicant. Et quoniam simplicem seu Categoricum Syllogismū in tres Figuras seu Tertij argumenti collo-

collocandi formas diuidunt: in duabus, primis etiam quatuor Vocabula, in Tertia sex, propter licentiam propositionis, quæ generalis & specialis esse queat, ponunt, quæ totidem modos, nempe generales duos in singulis; Speciales duos in primis Duabus, & quatuor in Tertia repræsentent.

Recita Vocabula illa.

1. Barbara, Celarent, primæ, Darij, Ferióque
2. Cesare, Camestres, Festino, Baroco secundæ:
3. Tertia grande sonans dedit Darapti, Felapton,
Adiungens Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Certè quoniam fluxa est eorum modorum memoria plurimum ad recordandum illa Vocabula videntur valere.

Esto, habeant ad memoriam iuuandam momenti aliquid, sed non plurimum. Maior enim & promptior vis est in quinque illis definitionibus affectionum, si vltrò citroque ad Generum definitiones rectè accommodentur; quod tum breuitate & facilitate Vocabula ipsa, & Vocalium definitiones superent, tum Artes suis definitionibus, quibus omnino doceri debent, explicatæ naturalem lucem obtineant. Attamen in Commentario conferendi caussa illa etiam vsurpari queant.

Quottuplex dein ceps est Syllogismus simplex? Duplex.

Syllogismus simplex est Contractus partibus, vel Explicatus] Diuisio simplicis in duo proxima genera formis partium distincta. Nam aliàs in vsu partibus breuiter tantum contrahitur, nec integer reperitur; quod mens semper tali iudicio contenta sit, etiamsi compleri & perfici queat: aliàs partibus omnibus explicatur, eamque explicationem natura postulat, etiamsi parte aliqua etiam truncari & mutilari queat. 8. *Genera Simplicis.*

Quid Aristoteles de hac Simplicis dichotomia?

Ille trichotomia in tres Figuras vtitur: quarum primâ Argumentum tertium in Propositione antecedit, in Assumptione sequitur; Secunda vtrobique sequitur; Tertia

vtrobique antecedit: atque postremæ duæ vt imperfectiores ad primam perfectissimam reducuntur. Sed & Rami Dichotomia Naturæ vsuíque conuenientior est, vocabulaque eius logicæ accommodata: & ordo à Simplicissimis, vt à Contracto ad explicatum; & in hoe à priore Speciequæ argumentum vno loco, ad alteram, quæ illud duobus locis collocat, omnino legitimus est.

Sed Ramus in superioribus editionibus eadem Dichotomia non est vsus.

Primum Aristotelis figuras quanquam Generum nomine, earúmque ordinem secutus est; deinde ex argumenti collocatione vniusmodi & diuersa duo genera constituit, quorum priore tertiam & secundam figuram, quæ argumentum eodem modo, illa vt vtrobique antecederet, hæc vt sequeretur, collocarẽt; altero Primam tantum figuram, quæ Argumentum vtroque modo collocaret, ideoque & collocationis & affectionis in partibus ratione è cæteris naturâ prioribus mixta esset, complexus est. Tandem cùm omnia ad artium Leges accuratius versaret & conformaret, primæque Speciei (quæ Aristoteli Tertia figura) exempla integra in vsu non deprehenderet, dichotomiæ forma nonnihil mutata priorem primi generis speciem separatam primum Genus nempe contractum; ex reliquarum integra communione alterum Genus nempe Explicatum fecit.

Breuiter mihi illarum siue figurarum siue specierum & Generum constitutionem vocabulis vsitatis ex Aristotele primum, deinde ex Ramo adumbrato.

	I. FIGVRA.	II. FIGVRA.
Maior.	MEDIVM, maior term.	Maior ter. MEDIVM.
Minor.	Minor ter. MEDIVM.	Minor ter. MEDIVM.
Conclusi.	Minor, maior terminus,	Minor, maior term.

III. FIGVRA.

Mai.	MEDIVM, maior term.
Mi.	MEDIVM, minor term.
Concl.	Minor, maior term.

EX

EX RAMI EDITIONIBVS quibuſdam.

I. GENERIS.

1. Species.	2. Species.	
ARG. TER. Conſeq. Q.	Con. Q. ARG. TERT.	*Propoſi.*
ARG. TER. Antec. Q.	Ant. Q. ARG. TERT.	*Aſſumptio.*
Antecedens, Conſequens pars quæſtionis.	Ant. Conſeq. Q.	*Complex.*

II. GENVS.

ARG. TERTIVM, Conſequens Quæſtionis
Antecedens Q. ARGVMENTVM TERTIVM. *Prop.*
Antecedens, Conſequens Quæſtionis. *Aſſumpt.*
Comp.

Ex poſtrema editione.

SYLLOG. SIMPLEX.

1. Contractus.	2. Explicatus.		
	1. Species.	2. Species.	
Antecedens, Conſ. Q.	Pro. Conſ. AR. 3.	AR. 3. Conſeq.	
TERT. ARG.	Aſſ. Ant. AR. 3.	Ant. ARG. 3.	Q.
Quædã. confid. eſt virtus, vt Conſtantia.	Cõp. Ant. Cõſ.	Ant. Conſeq.	*Arg. 3.*

Sed, vt redeamus ad artis explicationem,

Quis contractus?

Contractus eſt quando argumentum pro exemplo &c. Defi. eſt à forma quatuor proprietatibus adumbrata: 1. quod Argumẽtum ſit exemplum ſpeciale: 2. quod ſubijciatur præpoſitæ particulari Quæſtioni: 3. quod natura tamen vtranq; quæſtionis partem antecedere intelligatur: 4. quod aſſumptione affirmetur. Id enim ex eiuſmodi contracta quæſtionis & argumenti conſtitutione facile apparet: vt, Q. eſt: Quædam confidentia eſt virtus. *9. Contract.*

Argumentum à ſpecie, vt Conſtantia:

Nunc ſtatim ex illa Contracta conſtitutione mente ita integer Syllogiſmus concipitur:

O.v. Prop.

Prop. CONSTANTIA est Virtus. Da-
Ass. CONSTANTIA est confidentia. Ergo ra-
Comp. Quædam Confidentia est Virtus. pti.

Item negatè argumento sumpto ab altera specie.

Fe- AVDACIA non est virtus.
la- AVDACIA est confidentia. Ergo
pton. Confidentia quædam non est virtus.

Atque ita ex Contracta illa forma integer Syllogismus sua sponte menti obseruatur, & efficitur. Omnes autem vulgati modi his duobus exemplis continentur; cùm nihil interfit, siue mediam speciem, siue indiuiduum & proprium nomen pro argumento sumas, nisi vt dicatur Proprius à propositione propria.

Sic affirmatus Specialis 1.

Di- Quidam sapiens est diues.
sa- Omnis sapiens est laudabilis
mis. Ergo quidam laudabilis est diues.

Aff. spe. 2. propter licentiam Propositionis, quæ hic esti vt libet, generalis vel specialis, pro Quæstionis & argumenti ratione.

Da- Sapiens est laudabilis.
ti- Quidam sapiens est pauper.
si. Quidam igitur pauper est laudabilis.

Sic Negatus Spec. 1.

Bo- Quidam stultus non est fortunatus.
car- At omnis stultus contemnitur.
do. Ergo quidam contemptus non est fortunatus.

Neg. Spe. 2.

Fe- Nullus stultus est beatus.
ri- Quidam stultus est fortunatus.
zon. Quidam igitur fortunatus non est beatus.

Sic Aff. Prop.

Socrates est Philosophus.
Socrates est homo.
Quidam igitur homo est Philosophus.

Neg. Prop.

Thersites non est Philosophus.
Thersites est homo.

Hom

Homo igitur quidam non est Philosophus.

Hi modi ita integri quidem effici possunt: verum pro iudicij claritate vsus contracta illa forma contentus est.

Cur Contractus ille potius in arte ponitur?

Sic vsus differendi magister syllogistici iudicij contrahitur. nec aliter explicatur.] Approbatur efficiente Caussa, quod enim VSVS inuentor & Censor Artium non probat, id in arte superuacaneum & inutile est: nec quicquam aliter in arte pingendum est, quam in vsu deprehenditur. Ramus igitur hoc Genus cum Valla non repudiat, sed vero vsu illustrat, atque eius vim & lucem auctoritate ipsius Aristotelis per Comparationem declarat. Expositio enim illa Quæstionis particularis per Argumentum speciale seu exemplum vt simplicissima & clarissima, ita principium est Syllogismi partibus explicati. Nec ideo non Syllogismus sit, quòd comprehensus magis sit, quam plena forma dispositus, cùm syllogismi vim obtineat, consequentiámque efficiat. 10. *Experien. Contractii.*

CAP. XI. DE PRIMA SPECIE Syll. simplicis explicati.

IN syllogismo explicato propositio est generalis aut propria, & conclusio similis antecedenti aut parti debiliori: Species duæ sunt, prima vbi argumentum semper sequitur, negatum in altera parte.

GEN. I.

Turbatus non bene vtitur ratione:
Sapiens bene vtitur ratione:
Sapiens igitur non est turbatus.

Hoc indictum ita fit à Cic. 3. Tus. Et quemadmodum (ait) oculus conturbatus non est probè affectus ad suum munus fungendum: & reliquæ partes totumq; corpus à statu cùm est motum, deest officio suo ac muneri: sic conturbatus animus non est probè affectus ad exequendum munus suum. Munus autem animi est ratione vti: & sapientis animus ita semper affectus est, vt ratione optimè vtatur. Nunquam igitur est perturbatus.

GEN.

GEN. II.

Res mortalis est composita:
Animus non est compositus:
Animus igitur non est mortalis.

Cic. 1. Tusc. hoc syllogismo iudicat animum immortalem esse. In animi autem cognitione (inquit) dubitare non possumus, nisi forte in physicis plumbei sumus, quin nihil sit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex: Quod cùm ita sit, certè nec secerni, nec diuidi, nec discerpi, nec distrahi potest: nec interire igitur: Est enim interitus, quasi discessus & secretio ac diremptus earum partium, quæ ante interitum iunctione aliqua tenebantur.

SPE. I.

Liuidus non est magnanimus:
Maximus est magnanimus:
Maximus igitur non est liuidus.

Hoc iudicio Ouidius 3. de Ponto elegia, 3. concludit:

Liuor iners vitium, mores non exit in altos:
Vtque latens ima vipera serpit humo.
Mens tua sublimis supra genus eminet ipsum,
Grandius ingenio nec tibi nomen inest.
Ergo alij noceant miseris, optentque timeri,
Tinctáque mordaci spicula felle gerant:
At tua supplicibus domus est assueta iuuandis,
In quorum numero me precor esse velis.

SPE. II.

Saltator est luxuriosus:
Murena non est luxuriosus:
Murena igitur non est saltator.

Cic. pro Mur. Nemo enim ferè saltat sobrius, nisi forte insanit: neque in solitudine, neque in conuiuio moderato atque honesto. Intempestiui conuiuij, amœni loci multarum deliciarum comes est extrema saltatio. Tu mihi arripis id, quod necesse est omnium vitiorum esse postremum: relinquis illa, quibus remoto hoc vitium omnino esse non potest: nullum turpe conuiuium, nullus amor, non comessatio, non libido, non sumptus ostenditur: & cùm ea non reperiantur, quæ voluptatis nomen habent, quæque vitia sunt, in quo ipsam luxuriam reperire non potes, in eo te umbram luxuriæ

luxuriæ repertarum putas?

Hoc iudicij modo Ouid.1. Trist. Eleg.1. tripliciter concludit, dum carminum suorum excusationem exponit.

Carmina proueniunt animo deducta sereno:
Nubila sunt subitis tempora nostra malis.
Carmina secessum scribentis & ocia quærunt:
Me mare, me venti, me fera iactat hyems.
Carminibus metus omnis abest; ego perditus ensem
Hæsurum iugulo iam puto iámque meo.
Hæc quoque quæ facio, iudex mirabitur æquus,
Scriptáque cum venia qualiacunque leget.

PRO. I.

Agesilaus non est pictus ab Apelle:
Alexander est pictus ab Apelle:
Alexander igitur non est Agesilaus.

PRO. II.

Cæsar oppressit patriam:
Tullius non oppressit patriam:
Tullius igitur non est Cæsar.

QVAEST. EXPLICAT.

Quæ sunt communes proprietates Syllogismi explicati?

1. Præc. Proprietates Explicati.

IN syllogismo explicato Propositio est generalis aut Propria; & Conclusio similis antecedenti, aut parti debiliori.] Regula de communibus proprietatibus Propositionis & Complexionis in Explicato Syllogismo. Nam Propositionis generalis affectio hic nominatim definitur propter specialem Syllogismum, qui vna quidem parte generali antecedentis, sed non nominata supra erat definitus; quòd Contractus sententiam specialem in Propositione ferat. Propriam non admodum opus erat definire, quòd ex Proprij definitione constaret, nisi vt nominatim à speciali distingueretur, cuius etiam Assumptio & Complexio sæpe Propriæ sunt. Complexionis proprietates bifariam definiuntur, quòd generali aut proprio Antecedenti generalis aut propria Complexio, Speciali autem specialis nempe parti debiliori. i. speciali similis respondeat. Hæ autem proprietates

tates ſupra in quinq, illis,modorum affectionibus propter Contractum ſyllogiſmum non erant nominatim definitæ,quod is & Propoſitionẽ ferat ſpecialem,& Complexionem ſemper efficiat ſpecialem.

Quot ſunt ſpecies Syllogiſmi explicati?

2. Præcep. Species ſeu figuræ.

Species duæ ſunt.] Diuiſio explicati,ex duabus eiuſdem differentijs orta: prior eſt diuerſa Argumenti collocatio; altera negationis & affirmationis diſtinctio. Hæc vtrobique argumentum poſteriore loco collocat, & negatè ſemper concludit: altera Argumentum primum præponit,deinde poſtponit; & vtroque modo concludit.

Quæ prima Species?

3. 1. Species.

Prima vbi argumentum ſemper ſequitur, negatum in altera parte.] Defin. à forma duplicis proprietatis: prior eſt quod Argumentum in vtraque antecedentis parte ſequatur: altera quod in alterutra negetur; vnde hîc negatè tantum concludi intelligitur. Hæc Ariſtoteli eſt ſecunda figura; cuius modi omnes habent vnam vocalem affirmantem,alteram negantem ad partes Antecedentis; ſed negantem tantum ad Complexionem.

Cur non definit quæ pars debeat eſſe affirmata?

Id ex definitione liberum & vtrique parti Antecedenti pro Quæſtionis & Argumenti natura commune eſſe intelligitur. Nam cum negatio nulli parti adſtringatur nunc in Propoſitionem, nunc in Aſſumptionem cadere intelligitur. Atque ex hac libertate hîc etiam bini modi, generales,ſpeciales, & proprij fiunt, qui tantum ordine negationis diſtinguuntur; & ad Quæſtiones pro ipſarum & argumenti ratione accommodantur.

Vnde igitur conſtat,quo modo hic vtendum ſit,cùm omnes ſint negantes?

Ex argumenti, inquam, ad Quæſtionis partes ratione ſeu affectione: quod ſi Conſequenti parti conſentiat, Propoſitio erit affirmata; ſin antecedenti, Aſſumptio: atque

affectio, si nudè Quæstionis & argumentum enuncies, atim apparet: vt,

Q. est negata: Sapiens non est turbatus.

Argumentum, Quia ratione vtitur, scilicet sapiens: quæ sit Assumptio affirmata.

Item Q. est negata:

Animus non est mortalis:

rgumentum. Quia non est Compositus, scilicet Animus, quæ affectio est ad antecedentem partem negata; ideóque facit Assumptionem negatam.

Quem ordinem Ramus in exemplis affectionum seruat?

Generalia passim præcedunt, specialia, & sic propria seuntur: & cùm ordo affectionis affirmatæ in altera pararbitrarius esset: tamen quia omnes modi sunt negan-, exempla negatæ propositionis passim præponuntur, i ordo etiam erat in fictis illis vocabulis, Cesare, Camees, Festino, Baroco.

Cuiusmodi exemplis hîc Ramus vtitur?

Maximè, vt solet, illustribus, atque ex optimis auctoris depromptis: quæ & nudè, & vt ab ipsis tractata sunt, ponit, vt tum iudicij veritas, partiúmque certa ratio appeat, tum cryptica partium tractatio ad imitandum exita sit.

Recita primum exemplum generale?

1. *Modus generalis.*

Turbatus non benè vtitur ratione:
Sapiens benè vtitur ratione:
Sapiens igitur non est turbatus.

Quod genus Syllogismi est?

Ex Ramo.

implex. Quid ita? Quia pars nsequens quæstionis disponiin Propositione, pars antecens in Assumptione.

Quæ partes Quæstionis?

ntecedens est *Sapiens:* Conens, *Turbatus:* vt apparet in Com-

Ex aliis.

Categoricus: Quare? Quia ex categoricis seu simplicibus enunciatis seu propositionibus conficitur.

Quis minor & maior terminus Quæstionis?

Complexione.

Quod Tertium Argumentum?

Benè ratione vti: vt apparet in Antecedente.

Qualis eſt, vel cuius modi & affectionis?

Negatus generalis.

Vnde dicitur negatus?

E neg. E negata antecedentium partium altera cum Complexione.

Vnde generalis?

E Propoſitione & Aſſumptione generalibus.

At ſigna generalia non exprimuntur.

Sententiæ ipſę ſunt generales, & ſic à doctis vſurpantur.

Quod genus ſimplicis?

Eſt partibus explicatus: quare Complexio generalis ex antecedenti generali efficitur.

Quæ ſpecies Explicati?

Prima. Quare? Quia argumentum ſemper ſequitur, negatum in altera parte.

Quot in hac definitione ſunt Speciales Proprietates?

Duæ: prior quod Argumentum tertium vtrobique ſequatur, nempe in Propoſitione Conſequentem partem Quæſtionis; in Aſſumptione antecedentem: Altera, quod altera pars ſit negata: vnde intelligo hîc Syllogiſmos tantum negatos confici; ideoque tertiũ argumentũ cum vna parte conſentire, ab altera diſſentire.

Cum

Minor eſt Sapiens maior, *Turbatus*: qui ſoli ſunt in Concluſione.

Quis medius terminus?

Benè ratione viti qui nõ ingreditur Cõcluſionem.

In qua figura?

In ſecunda, Quia Medium in vtraque propoſitione antibutum ſeu prædicatum eſt.

In quo modo?

In Ceſare.

Quare?

Quia ex maiore negante, & minore affirmante, vtraque vniuerſali, concluſionem colligit vniuerſalẽ negantem.

Cum qua igitur in hoc exemplo consentit? & quomodo arguit vtramque partem?

Consentit cum antecedente parte, quam vt eius effectum arguit: dissentit à consequente, quã in propositione vt dissentaneum arguit: quæ ideo etiã negata est.

Qualis est Quæstio?

Q. est vniuersè negans de rebus ethicis, quod Philosophus sit ἀπαθὴς, sine animi perturbationibus & affectionibus, voluptate, dolore, spe, metu. Sic enim de lenienda ægritudine ex Stoicorum sententia disseritur.

Vnde sumptum est argumentum?

Ab effecto.

Quibus crypticis tractatur?

Vno tantum nempe Prosyllogismi: nam Syllogismus & integer est, & recto ordine collocatus.

Qui Prosyllogismi illi?

Propositionis Prosyllogismus est à similitudine pertubatarum corporis partium: qui in protasi præcedit: redditio est ipsa propositio. Assumptionis deinde prosyll. est ex animi proprio fine & munere, cui ipsa subiungitur. Cõplexio nuda & postrema est.

Recita secundum exemplum generale.

Cam- Res mortalis est Composita,
es- Animus non est compositus,
tres. Animus igitur non est mortalis.

2. *Modus generalis.*

Cedo eius Analysin.

Est Syllogismus simplex explicatus, & negatus generalis, in prima specie secundus, ideoque sola propositione affirmatus.

Qualis est Q?

Vniuersè negans de rebus Physicis, nempe Animorum immortalitate.

Quomodo argumentum Quæstionis partes separatim arguit?

In propositione consequentem vt formā eius; in Assumptione antecedentem vt dissentaneum arguit, quia de Animis eiusmodi forma negatur, qui simplices sunt & incorporei.

Quibus crypticis tractatur?

Duobus: Prosyllogismorum abundantia, & partium Innersione. Ass. præcedit, Animus non est compositus: cui prosyllogismus additur vt Consectarium Adiuncti, quod ideo diuidi non possit. Compl. nudè ponitur, Nec interire igitur. Propositionis sententia cùm Prosyllogismo à definitione rei mortalis vel mori, inuoluitur, quæ sic explicatur: Res mortalis est composita: quia mori est partibus antè compositis separari & secerni.

Recita primum exemplum Speciale.

1. *Modus specialis.*

Fes- Liuidus non est magnanimus.
ti- Maximus est magnanimus.
no. Maximus igitur non est Liuidus.

Quod genus Syllogismi?

Simplex &c. Qualis vel in quo modo? Negatus Specialis, vel in Festino. Quare? Quia habet alteram antecedentium partium negantem & generalem.

Quis simplex?

Explicatus.

Quæ eius species? vel in qua figura?

Species prima est; quæ Aristoteli secunda figura &c.

Quotus specialis?

Primus ex Propositione negante.

Qualem Quæstionem concludit?

Ex partè negantem. Propria enim sic specialis est. Nam Ouidius Fabium Maximum ita commendat, à magno & simplici animo.

Vnde sumitur argumentum?

Ab adiuncto antecedentis in Ass. quod est disparatum consequentis in Propo. Magnanimitas enim & liuor sunt disparata.

Quibus crypticis explicatur?

Liuor iners. Prosyllogismorum abundantia. Propositio illustratur prosyllogismo disparati & similis: Liuidus non est magnanimus

nimus, sed abiectus humi, vt vipera. Assumptio declaratur duplici minore, generis & nominis. Maximus est magnanimus, & quidem maiore animo quam est eius genus & nomen. Complexio contrario exponitur: Ergo non est liuidus sed beneficus: & hoc initio dissimili illustratur per speciem Concessionis: Alij noceant & timeantur: Tu sis liberalis & benignus. *Mens.* *Ergo.*

Recita secundum speciale.

Ba- Saltator est luxuriosus. 2.
ro- Murena non est luxuriosus. *Modus.*
co. Murena igitur non est saltator. *Spec.*

Cedo eius Analysin.

Est Syll. simplex explicatus in prima specie, & quidem negatus specialis secundus ex Assumptione negante.

Qualis Q. & argumentum?

Q. Specialis seu propria argumento à caussa consequentis, quæ negatur de antecedente, concluditur. Sic enim Cicero Murenam consulem designatum aduersus Catonis reprehensionem defendit.

Quibus crypticis tractatur?

Prosyllogismis partium. Propositionis enim probatio prosyllogistica à Contrarijs præcedit: deinde ipsa sequitur. Sic porro & Assumptionis prosyllogismus de sophismate à dissentaneo ipsam præcedit ad Catonem reprehendẽdum, qui non probata luxuria tanquam caussa concludat saltationem eius effectum: deinde ipsa Assumptio per partes explicatur. Complexio tandem illustratur iterata Assumptione per collationem minoris. *Nemo.* *Tu mihi.* *Et cùm.*

Quale deinceps exemplum sequitur?

Aliud speciale triplicis antecedentis de vna Complexione: Tribus enim argumentis poëta minorem suorum versuum elegantiam excusat.

Quomodo argumenta illa arguunt?

Vt Adiuncta Consequentis, quæ negantur de antecedente.

Quibus crypticis tractantur?

Prosyllogismi Assumptionum è dissentaneis & impedientibus pro ipsis Assumptionibus ponuntur.

Elice nudos Syllogiſmos.

Adiuncta. Ba- Bonus poëta eſt lætus, eſt otioſus, eſt ſecurus.
diſſentanea. ro- Ouidius non eſt lætus, non otioſus, non ſecurus.
co. Ouidius igitur non eſt bonus poëta.

Recita primum proprium.

Propriÿ. *Ageſilaus non eſt &c.*

Cur proprius? & quidem primus?

Quia vtranque antecedentis partem propriam habet, & primam negantem.

Quomodo argumentum arguit?

Vt diſſentaneum conſequentis, & adiunctum antecedentis. Hiſtoriam de Ageſilao Laconum rege, & Alexandro Macedonum, vide in epiſt. Cic. ad Luceium.

Recita ſecundum, & vim argumenti?

Cæſar oppreſſit &c. Secundus eſt negatus ſecunda parte; ideoque argumentum arguit in Propoſitione vt effectum, in Aſſumptione vt diſſentaneum. Hiſtoria nota eſt.

CAP. XII. DE SECVNDA SPECIE Syllogiſmi ſimplicis explicati.

SEcunda ſpecies explicati Syllogiſmi eſt, quando argumentum antecedit in propoſitione, ſequitur affirmatum in aſſumptione.

AFF. GEN.

Omne iuſtum eſt vtile:
Omne honeſtum eſt iuſtum:
Omne igitur honeſtum eſt vtile.

Quod C. 2. Off. ita concludit: Summa quidem authoritate philoſophi, ſeuerè ſanè atque honeſtè hæc tria genera confuſa, cogitatione diſtinguunt: Quidquid enim iuſtum ſit, id etiam vtile eſſe cenſent: Itémque, quod honeſtum idem iuſtum: Ex quo efficitur, vt quidquid honeſtum ſit, idem ſit vtile.

NEG. GEN.

Timidus non eſt liber:
Auarus eſt timidus:
Auarus itaque non eſt liber.

Hæc

Hoc ita concluditur & iudicatur ab Horatio 1. Epist.

Quo melior ſeruo, quo liberior ſit auarus,
In triuijs fixum cùm ſe demittit ob aſſem,
Non video: nam qui cupiet, metuet quoque: porro
Qui metuens viuit, liber mihi non erit vnquam.

Sic Ter in Eunu. concludit & iudicat.

Conſilij expers, conſilio regi non poteſt:
Amor eſt conſilij expers:
Conſilio itaque regi non poteſt.

Syllogiſmus his verbis ſequitur:

Here, quæ res in ſe neque conſilium neque modum
Habet vllum, eam conſilio regere non potes:
In amore hæc omnia inſunt vitia: iniuriæ,
Suſpiciones, inimicitiæ, induciæ,
Bellum, pax rurſum: incerta hæc ſi tu poſtules
Ratione certa facere, nihilo plus agas
Quàm ſi des operam, vt cum ratione inſanias.

AFF. SPE.

Conſules virtute facti, ſtudioſè Remp. tueri debent:
Cicero eſt virtute factus Conſul:
Cicero igitur Rempub. ſtudioſè tueri debet.

Sic orator diligentiam ſuam Agra. 2. concludit & iudicat: Nam cum omnium Conſulum, ait, grauis in Republica cuſtodienda, cura ac diligentia debet eſſe, tum eorum maximè, qui non in incunabilis, ſed in campo ſint conſules facti. Nulli populo Romano pro me maiores noſtri ſpoponderunt, mihi creditum eſt: à me petere, quod debeo, meipſum appellare debetis. Quemadmodum cùm petebam, nulli me authores generis mei vobis commendarunt: ſic ſi quid deliquero, nullæ ſunt imagines, quæ me à vobis deprecentur. Quare modo vt vita ſuppetat (quanquam ego ſum is, qui eam poſſim ab iſtorum ſcelere inſidiiſque defendere) polliceor hoc vobis, Quirites, bona fide, Rempubl. vigilanti homini, non timido: diligenti, non ignauo commiſſuros.

Quod optatum redierit, gratum eſt:
Lesbia Catullo optata redijt:
Grata igitur eſt.

Catullus ſic concludit:

Si quicquam cupidóque optantíque obtigit vnquam &
Insperanti, hoc est gratum animo proprie.
Quare hoc est gratum nobis, quoque charius auro
Quòd te restituis Lesbia, mî cupido.
Restituis cupido, atque insperanti ipsa refers te
Nobis. ô lucem candidiore nota?
Quis me vno viuit felicior? vt magis hac quid
Optandum vita, dicere quis poterit?

NEG. SPE.

Deceptor amantis puellæ non est laudandus:
Demophoon est deceptor amantis puellæ, vt
Phyllidis:
Demophoon igitur non est laudandus.

Phyllis apud Ouidium ita iudicat Demophoontem laudandum non esse:

Fallere credentem non est operosa puellam
Gloria: simplicitas digna fauore fuit:
Sum decepta tuis & amans & fœmina verbis,
Dij faciant laudis summa sit ista tuæ.

AFF. PRO.

Octauius est hæres Cæsaris:
Ego sum Octauius:
Sum igitur hæres Cæsaris.

NEG. PRO.

Antonius non est filius Cæsaris:
Tu es Antonius:
Non es igitur filius Cæsaris.

QVAEST. EXPLICAT.

Quæ secunda Species?

1. præcep. Secund. Spe. SEcunda Species est *quando argumentum antecedit in Propositione, sequitur affirmatum in Assumptione*] Definitio à forma duplicis proprietatis: prior collocatio argumenti duplex: altera assumptionis affirmatio, nempe in Syllogismo negato. Et quoniam negationi omnino non adstringitur, vt superior; omni affectionis modo conuenire, omnéque genus quæstionis concludere intelligitur.

Quæ

Quænam hæc est Aristoteli figura?

Prima: sed natura & vsu omnino postrema est, magisque specialis, quòd tum collocatione argumenti duplici, tum partium affectionibus ex superioribus composita sit, ideóque pluribus proprietatibus adstricta.

Quid igitur ex Contracto participat?

Quod argumentum antecedat in propositione, Assumptio in negantibus sit affirmata, & denique tam affirmatè quam negatè concludat.

Quid à Specie prima explicata?

Quod argumentum sequatur in Assumptione, & concludat generatim. Propositio etiam vtrique est generalis, cum contractus specialem, si explicetur, ferat.

Quomodo deinceps exempla ad communes modorum affectiones distinguuntur?

Ordine affirmantia negantibus, generaliáque specialibus, & hæc proprijs præponuntur.

Recita igitur syll. affirmatum: generalem.

Bar- Omne IVSTVM est vtile.
ba- Omne honestum est IVSTVM. *Affi. gene.*
ra. Omne igitur honestum est vtile.

QVIS SYLLOGISMVS?

Ex Ramo.

Est Syllogismus simplex.

Quare simplex?

Quia pars consequẽs quæstionis disponitur in Propositione: pars antecedens in Assumptione. *Atque hæc rectè dicitur simplex dispositio, à separatis partibus, non à simplicibus enunciatis.*

Quæ partes huius Quæstionis?

Antecedens est (Honestum) Consequens (vtile.)

Quomodo tertium argumentum?

IVSTVM: quod disponitur in Antece-

Ex alijs.

Est Syll. Categoricus.

Quare Categoricus?

Quia ex Categoricis propositionibus conficitur.

Quis minor & maior terminus?

Minor est (honestũ) maior (vtile.)

Quis medius term.

IVSTVM: qui dis-

Antecedente cũ Quæſtionis partibus.

Quæ conſtitutio Quæſtionis?

Quæſtio eſt affirmata generalis; vel affirmans vniuerſe.

Quomodo arguit tertiũ argumentũ?

In propoſitione, vt Cauſſa vtilis, in Aſſumptione, vt communis forma honeſti.

Qualis eſt Syllogiſmus?

Affirmatus generalis.

Sed hæc Quæſtio infra etiam locum habet?

In quo genere ſimplici?

In ſecundo, nempe Explicato.

Quare?

Quia partibus omnibus explicatur.

In qua ſpecie?

In ſecunda.

Quare?

Quia argumentum antecedit in Propoſitione, ſequitur affirmatum in Aſſumptione.

Quare addis affirmatum?

Quia hæc proprietas in hac ſpecie Syllogiſmi negati.

Quæ igitur proprietas Specialis?

Eadẽ quæ in prima, quod Propoſitionem habeat generalem.

Qualis eſt Syllogiſmus? vel In quo modo?

Affirmatus generalis: vel, In modo affirmato generali.

Quare?

Quia conſtat ex partibus omnibus affirmatis, deinde Propoſitione & Aſſumptione generalibus: quibus Cõplexio ſimilis eſt.

ponitur in præmiſſis cum extremis.

Vnde ſumptum eſt argumentum?

A communi quadã forma.

Alij de modo poſt figuræ cõſtitutionem quærunt: in Ramo generales illæ affectiones commodius ante conſiderantur, vt ſpeciales gradatim annectantur.

In qua figura?

In prima.

Quare?

Quia Medium in maiore Propoſitione ſubijcitur, in Minore attribuitur.

In quo modo?

In Barbara.

Quare?

Quia cõſtat ex Propoſitionibus vniuerſe affirmantibus.

Quibus

Quibus crypticis tractatur?

Propositio Prosyllogismo ex auctoritate Stoicorum illustratur: deinde partes ordine collocantur.

Cur Ramus simplicibus vtitur partibus cum Cicero relatis vtatur?

Vt appareat simplicem esse Syllogismum ex compositis tamen enũciatis, cùm Quæstionis partes seperatim & simpliciter cum tertio argumento disponantur.

Cedo negatum generalem, eiusq; analysin: *Negatur. Generale.*

Ce- Timidus non est liber:
la- Auarus est timidus:
rent. Auarus itaque non est liber.

Signa non adduntur, quòd generales sint sententiæ.

Quæstio ethica vniuersè negans iudicatur disparato cõsequentis, & adiuncto antecedentis. Sic enim Stoicum paradoxum, Auaros esse seruos, disputatur.

Quibus crypticis explicatur?

Prosyllogismis & partium traiectione. Prop. præcedit cum prosyllog. è paribus & effectis. Assumpt. sequitur. Prop. postrema est. Notentur rursus partes relatæ in Syll. simplici.

Retexe alterum exemplum.

Consilij expers, &c.] Q. etiam vniuersè negans Contrario consequentis, & adiuncto antecedentis disputatur à Parmenone Act. 1. Sce. 1. vbi Phædriæ suadet vt sese redimat captum quanti queat.

Retexe etiam cryptica.

Ordo partium seruatur: propositio quasi αὐτόματος: sine prosyll. præcedit. Assum. prosyllogismo variorum adiunctorum consilium impedientium explicatur. Complexio prosyllogismo parium exornatur.

Cedo affirmatum Specialem?

Da- Consules virtute facti studiosè Remp tueri debent. *Aff. spe.*
ri- Cicero est virtute factus consul.
s. Cicero igitur Remp. studiosè tueri debet.

Retexe quæstionem & argumentum.

Q. ex parte affirmans (propria enim pars sic specialis

est)efficiẽte scilicet virtute iudicatur, quæ fit vt consulatus, sic etiam industriæ causſa.

Retexe prosyllogismos.

Nam. Partes prosyllogismis explicantur. Propositionis prosyllogismus à minoribus & diuersis ad eam illustrandam præcedit: ipsa in Redditione sequitur. Assumptio habet

Nulli. prosyllogismum à diuersis caussis (Cicero non maiorum gratia & splendore, sed virtute factus est consul)quæ Con-

Quære. sectario similitudinis declarantur. Complexio tandem disparatis & diuersis exponitur. In incunabulis fieri consules dicuntur, qui maiorum splendore & gratia; in Campo, qui sua virtute illum honorem assequuntur.

Retexe alterum exemplum.

Syllog. simplex est ex propositione tamen relata: quo Q. specialis seu propria, argumento à causſa consequentis, & Adiuncto antecedentis concluditur.

Quibus crypticis explicatur?

Prosyllogismis & partium Inuersione. Propo. præcedit ἄμεσος & αὐτόπτης. Compl. deinde protyllogismo minoris illustratur. Assumptio nudè ponitur, & complexio tandem iterata adiuncto & minore declaratur.

Recita negatum specialem.

Fe- Deceptor amantis puellæ non est laudandus.

Neg. spec. ri- Demophoon est deceptor amantis puellæ.

o. Demophoon igitur non est laudandus.

Cedo analysin.

Syll. simplex est negatus specialis, & explicatus in secunda specie; ideóque Propositione generalis & Assumptione affirmatus: quo Q. propria argumento dissentaneo consequentis, & adiuncto antecedentis cõcluditur. Sic. n. Phyllis Lycurgi filia, regina Thraciæ de Demophoonte Thesei filio disputat.

Quibus Crypticis poëta vtitur?

Prosyll. Propositio illustratur adiunctis & cõtrarijs; Assumptio distributione quadã: Cõp. Imprecatione ornatur.

Aff. prop. *Da affirmatum proprium.*

Octauius est hæres Cæsaris.]Q Propria subiecto Cõsequẽtis,

tis, & adiuncto nomine antecedentis disputatur. Sunt autẽ exempla ficta ex Suetonij in Octauio 8. & 10. cap. vt Octauius hæres sit à Cæsare relictus; & Antonius tamen Consul eum obeunda hæreditate deterrere voluerit.

De negatum proprium eiusq; analysin.

Antonius non est.] Q. sim ilis argumento à disparato cõsequentis & adiuncto antecedentis concluditur.

Cur Ramus artem demonstrandi Syllogismos per Reductiones prætermisit? Reductiones.

Quia totum illud Demonstrationis genus ridiculum & superuacaneum commentum est; cùm excellentissimæ artium demonstrationes sint definitiones, partitiones, & exempla: ideoque Definitiones, ipso Aristotele teste, demonstrabiles non sint, sed sua luce iudicentur. Nunc autem Figuræ singulæ suis definitionibus demonstrantur; ideoque nouo Reductionis iudicio non egent; præsertim cùm quælibet etiam sua quadam propria luce & laude excellat, quæ alijs non item conuenerit.

Quæ igitur cuiusque Speciei seu figuræ laus & perfectio?

Ea definitionibus & partitionibus earundem continetur: vnde colligi queat.

Quæ Contracti laus propria?

Contracti Syllogismi perfectio & laus est præcipua illa iudicij seu Expositio Aristotelica, quod Quæstionem specialem simplici expositionis sensu iudicet; quæ primo Explicato nunquam, secundo non ita perspicuè conuenit: vnaque re primum explicatum superat, quod affirmatè concludit.

Quæ primi Explicati?

Primi explicati præcipua laus est negata Conclusio perpetua, qua & contractum & explicatum secundum, eáque etiam generalis, qua Contractum, & Propositio etiam affirmata, qua explicatum secundum superat. Dissensio enim rerum negatióque in hunc frequentius incurrit, imò huius propria est, si argumentum cum consequente Quæstionis consentiat.

Qua

Quæ ſecundi explicatis?

Secundi explicati præcipua laus eſt, generalis affirmatio; alioquin etiam proprietates ſuperiorum generum quaſdam coniunctas habet: quanquam in negantibus nũquam habet Propoſitionem affirmatam. Ergo quælibet Syllogiſmi ſpecies ſuæ definitionis luce & perſpicuitate iudicatur. neque alia lumen ſui iudicij ab alia mutuatur, quamuis alia ſit illuſtrior fortaſſe & clarior quàm alia. vide 2. par.

CAP. XIII. DE SYLLOGISMO connexo primo.

ADhuc Syllogiſmus ſimplex fuit: ſyllogiſmus compoſitus eſt ſyllogiſmus, vbi tota quæſtio eſt pars altera propoſitionis affirmatæ & compoſitæ: argumentum eſt pars reliqua. Tollere autem in compoſito ſyllogiſmo, eſt ſpecialem contradictionem ponere.

Syllogiſmus compoſitus eſt connexus aut diſiunctus. Syllogiſmus connexus eſt ſyllogiſmus compoſitus propoſitionis connexæ, eſtq́, duorum modorum.

Primus modus ſyllogiſmi connexi eſt, qui aſſumit antecedens, & conſequens concludit: Quo modo Cicero iudicat & concludit, 2. de Diuin.

Si dij ſunt, diuinatio eſt:
Sunt autem dij:
Diuinatio eſt igitur.

3. *Offi. Atque ſi etiam hoc natura præſcribit, vt homo homini, quicunque ſit, ob eam ipſam cauſſam, quòd is homo ſit, conſultum velit, neceſſe eſt ſecundum eandem naturam, omnium vtilitatem eſſe communem: Quod ſi ita eſt, vna continemur omnes & eadem lege naturæ: Idq́, ipſum ſi ita eſt, certè violare alterum lege naturæ prohibemur: verum autem primum, verum igitur & extremum.*

Sic Aeneid. 4. Dido iudicat Aeneæ remanendum eſſe.

Méne fugis? per ego has lachrymas, dextrámque tuam, te
Quando aliud mihi iam miſeræ nil ipſa reliqui,
Per connubia noſtra, per inceptos hymenæos,
Si benè quid de te merui, fuit aut tibi quicquam

Dulce

Dulce meum: miserere domus labentis, & istam
Oro, si quis adhuc precibus locus, exue mentem:
Te propter Lybicæ gentes Nomadúmque tyranni
Odere, infensi Tyrij, te propter eundem
Extinctus pudor; & qua sola sydera adibam,
Fama prior, cui me moribundam deseris hospes?

Frequenter hic non assumitur idem, sed maius, vt 1. Catil. Si te parentes timerent, atque odissent tui, neque illos vlla ratione placare posses, vt opinor, ab eorum oculis aliquò concederes: nunc te patria (quæ communis est omnium nostrum parens) odit ac metuit, & iam diu nihil de te iudicat, nisi de parricidio suo cogitare: huius tu neque authoritatem verebere? neque iudicium sequere? neque vim pertimescs?

Concludendi modus hic idem est, quando propositio est relata temporis, quo genere nympha Oenone, apud Ouidium concludit errorem stultitiæ suæ:

Cùm Paris Oenone poterit spirare relicta,
Ad fontem Xanthi versa recurret aqua:
Xanthe retrò propera, versæque recurrite lymphæ:
Sustinet Oenonem deseruisse Paris.

QVAESTIONES EXPLICAT.

Quis Syllogismus compositus?

1. Compositus.

Syllogismus compositus est syllogismus, vbi tota quæstio est pars altera propositionis affirmatæ & compositæ: argumentum est pars reliqua.] Def. est à genere & forma propositionis, quæ tribus proprietatibus constat, nempe Composita collocatione tertij argumenti cum tota quæstione, deinde Propositionis affirmatione, & tandem Compositione. Nã nec ex simplici siue collocatione siue propositione, nec ex negata effici potest.

Quomodo igitur à simplici distinguitur?

His formæ differẽtijs. Nam Simplex semper habet simplicem collocationem tertij argumenti cum partibus quæstionis separatis, in Propositione cum consequente, in Assumptione cum antecedente, siue propositio ipsa sit simplex siue composita, affirmata vel negata pro Generis ratione.

tione. Compositus habet compositam collocationem tertij argumenti cum tota quæstione, in Propositione etiam composita semper & affirmata.

Quomodo tertium argumentum cum tota Quæstione in Propositione collocatur?

Tertium argumentum aliquando est nudum .i. nuda & solitaria ratio, aliquando integra enunciatio. Quando nudum est, adiungitur antecedenti quæstionis parti in vno propositionis membro seu commate, quæ tamen in altero iteratur, vel intelligitur, & sic cum eadem assumitur, vt in Syllogismi simplici semper cum antecedente in Assumptione collocatur, sed è propositione illic non Assumpta. Quando autem est integra enunciatio, tum solum propositionis alterum membrum facit, ideoque solum assumitur, quod nunquam fit in simplici.

Da exemplum argumenti cum parte quæstionis in suo membro coniuncti.

Si Socrates est HOMO; Socrates est animal.
At Socrates est HOMO. Ergo Socrates est animal.

Da integræ enunciationis, quæ sola suum membrum faciat, & assumatur.

Si VIRTVS est LAVDANDA: vitium est vituperandum.
At VIRTVS est LAVDANDA: Ergo vitium est vituperandum.

Quid Aristoteles de Composito?

Nihil: attamen ipse composita forma vsus, nullã Syllogismi speciem, præter simplicem esse disseruit. 22. ca. 1. Pri.

Qui igitur huius doctrinæ auctores?

Theophrastus, Eudemus, & Boëtius.

Quomodo Aristotelis successores compositum nominarunt?

Vt Enunciatum sic & syllogismum compositum nominarunt Hypotheticum: sed vtrobique ea voce abusi sunt, quod & hypothesis conditióque possit esse in simplici enũciato, & coniunctus syllogismus possit esse absque hypothesi, si omnes partes veræ & certæ sint. Alij etiam coniunctum & copulatum generatim nominant.

Quid

Quid definitioni ſubiungitur?

Tollere autem, &c.] Explicatio proprietatis cuiuſdam in- 3.
forma aſſumendi & concludendi ex lege καθόλου αφῶ τοι, ne *Proprietas.*
per modos eam neceſſe ſit iterare. Quoties igitur in definitionibus modorum Tollere ponitur, intelligendum contradictionem ſpecialem aſſumendam vel concludendam eſſe.

Quotuplex Compoſitus?

Syllogiſmus Compoſitus eſt connexus aut diſiunctus.] Dicho- *Genera comp.*
tomia cõpoſiti in ſpecies ratione enunciatorum remotiores; quod ex reliquis congregatiui & ſegregatiui generis ſpeciebus non ita efficiatur. Nam copulatum in ſimplici ſyllogiſmo duntaxat Propoſitio eſſe poteſt, quanquam negatum diſiũctionis vim habet. Diſcretum Syllogiſmi propoſitio eſſe non poteſt, ſed eſt ἀσυλλόγιστον.

Quis Connexus?

Syll. conne. eſt ſyll. comp. propoſitionis connexæ.] Def à ge- 4.
nere, & forma; quæ eſt Propoſitionis connexio. Nam cum *Connexus.*
ceteræ omnes proprietates ex genere colligantur, hæc omnino perficitur.

Quomodo nominatur ab interpretibus Connexus? *Nomina.*

Συλλόγισμος ὁ ἐξ ἀκολουθίας, καὶ τὸν ἀκολουθίαν παραλαμβάνων Syllogiſmus ex conſequentia & conſequentiam comparans: partes ἡγούμενον καὶ ἀκόλουθον antecedens & conſequens. Alijs Syllogiſmus ex Conditione, ſeu Cõditionalis nominatur,

Quotuplex eſt Connexus?

Eſt duorum modorum] Dichotomia Connexi in modos 5.
ex differentia aſſumendi & concludendi. Modi autem no- *Modi.*
minibus carent, & ordine differentiiſque aſſumendi di- *Con.*
ſtinguuntur. Quidam etiam figuras vocant.

Quid Ariſtoteles de his modis?

Eos 2. cap. 2. Top. nomine Argumentorum ab antecedẽtibus & cõſequentibus aliud agens cõprehendit. qui etſi Syllogiſmum hic non appellet: tamen reipſa ac veritate,

artem

artem ipſam propoſuit.

Quis primus modus connexi?

6. 2. Modus. *Primus modus Syll. connexi eſt, qui aſſumit antecedens & conſequens concludit.*] Defin. eſt à forma aſſumendi & concludendi; vnde argumentum tertium in propoſitionis cõnexæ antecedente eſſe intelligitur.

Quid hic, Aſſumere?

Aſſumere hîc non eſt affirmare, ſed repetere & retinere omninò quale propoſitum erat: ſi affirmatum, affirmatè, ſi negatum, negatè. Et ſic antecedere & conſequi communiter ſignificant, ita collocatum eſſe in Aſſumptione & Complexione, vt erat propoſitum in Propoſitionis antecedente & conſequente.

Quibus exemplis declaratur? Tribus.

Primum philoſophico nudè abſque crypticis propoſito, cuius argumentum ab efficiente Diuinationis ſolum propoſitionis membrum facit, ideoque ſolum aſſumitur. Deus enim auctor diuinationis: vnde ita ex Stoicorum ſententia à Q. fratre confirmatur.

Quid Diuinatio?

Diuinatio Latinis omnis præſenſio rei futuræ, ſiue à Deo ſiue ab homine fieret: & futura præſentire aut prædicere deorum proprium videbatur: indeque à Diuis diuinatio eſt nominata, vt ait Cic. de Diui.

Quod ſecundum exemplum?

Secundum etiam Philoſophicum eſt de Quæſtione ethica, Homini non licere alterum violare; quod efficit Naturali efficiente, nempe Naturæ vi, Propoſitionem duobus proſyllogiſmis ab effectorum gradatione declarans: vnde hoc genus proſyllogiſmorum cum principe Syll. implicatorum vocant Soriten, vide 2. par.

Exige breuiter collocationem.

Si hominũ naturalis eſt conciliatio: iniuria prohibetur.

Proſ. { 1. Quia vtilitas ſic eſt communis;
2. Et ſic etiam Lex communis eſt.

At hominum naturalis eſt conciliatio.

Ergo iniuria prohibetur.

Nihil igitur in Sorite nouæ artis est, è cuius collocatione aliquid necessariò efficiatur; sed tantum Obseruatio est Prosyllogismorum cum Syllogismo gradatim implicatorum.

Quod tertium?

Tertium poëticum & fictum sed tamen ethicum exotericum est è vita communi, quo Dido Q. An Æneæ manendum sit? affirmatè à caussa consequentis & adiuncto antecedentis concludit: Si Dido benè de Ænea merita est: certè is manebit. At Dido benè de Ænea merita est. Ergo manebit. Sic enim Dido, cùm Æneas Iouis mandato in Italiam vocatus discessum pararet, eum orauit vt maneret, quem antea spretis regibus procis hospitio & lectulo coniugali excepisset.

Quibus crypticis tractatur?

Duobus, nempe Prosyllogismis, & partium traiectione quadam. Complectio. n. hoc est Q. ipsa initio attingitur, Méne fugis? q. d. An ita tibi abeundum putas? Prop. deinde sequitur: cuius consequens caussis illustratum partim præcedit, & partim sequitur. Ass. porro prosyll. variorum effectorum Didonis, sed adiunctorum Æneæ declaratur, quod alijs præstantibus procis spretis ipsum cum iactura pudicitiæ recepisset; vbi amplificatio ab adiuncto incidit. Comp. postremò adiuncto, quod moribunda Dido, aucta per deprecationem infertur.

Méne.
Per ego.
Te propter.
Cuime.

Quid sequitur?

Frequenter hîc non assumitur idem, sed maius.] Annotatio est de quadam assumendi proprietate, qua Maius assumptum continet in se vim minoris; ideóque non aliud vel quartum sed idem argumentum reipsa assumitur. Vel queat propositionis prosyllogismus videri ipsius loco positus, qui ita in ordinem redigeretur:

Si te patria timet: aliquò concedes.

Consecutio minori approbatur: Nam si te parentes timerent: aliquò ab eorum oculis concederes.

At te patria timet. Ergo, &c. Argumentum est ab adiuncto odio.

7. Assumitur maius.

Quibus crypticis tractatur?

Si te. Prosyllogismis quibusdam: Nam Propositio etsi αὐτέπιστος καὶ ἄμεσος (qualis fere connexa, secus absolutè vera non esset) tamen testimonij quadam specie illustratur. Assumptio adiuncto & effectis Catilinæ, Complexio adiunctis patriæ declaratur.

Nunc te.

Quid deinde sequitur?

8. Relatio. *Concludendi modus &c.*] Altera Annotatio de simili quadam specie. Nam Relatio temporis, vt etiam consequentiæ vim connexionis habet. Obseruabis hanc vim sæpe in sententia esse, vbi tamen nulla sint relationis vel consequentiæ peculiaria signa.

Quo exemplo demonstratur?

Poëtico de re ficta ethicam imitante, argumento à pari ficto testimonio Paridis stabilito per Syllogismum cōpositum relatum: cuius propositio falsa deceperat Oenonem: Cùm Paris deseret Oenonem; Xanthus recurret.

At Xanthus nunquam recurret. Ergo Paris ipsam nunquam deseret; collegerat ille. Nunc illa conquerens partes inuertit:

At deseruit. Ergo recurret: q. d. sed quia id nunquam futurum, me turpiter deceptam intelligo.

Quibus crypticis tractatur?

Prosyllogismis & Traiectione partium, quod & Propositio tacito testimonio promittentis & quasi iurantis Paridis stabiliatur, & Complexio Assumptioni anteposita breui prosyllogismo partium declaretur.

CAP. XIIII. DE SYLLOGISMO conn. secundo.

SEcundus modus connexi tollit consequens, vt tollat antecedens.

Si vlli rei sapiens assentietur vsquam, aliquando etiam opinabitur:

Nunquam autem opinabitur:

Nulli igitur rei assentietur.

Eodem syllogismo Ouidius 2. Trist. stultitiam suam iudicat:

Si

Si saperem, doctas odissem iure sorores,
Numina cultori perniciosa suo:
At (nunc tanta meo comes est insania morbo)
Saxa memor refero rursus ad icta pedem.

Hæ duæ syllogismi species sunt omnium vsitatissimæ.

QVAESTIONES EXPLICAT.

Quis secundus modus connexi?

9.

SEcundus *modus connexi tollit consequens vt tollat antecedens.*] Def. est à forma assumendi & concludendi, quæ est in speciali contradictione: vnde argumentum tertium vel eius contradictio in propositionis consequente esse, & Assumptio Complexióque vel specialis propositioni generali; vel generalis speciali opponi intelligitur. Requiritur enim hîc Contradictio Specialis, quæ sit particularis vel propria, secus conclusio ἀσυλλόγιστος fuerit. Hic modus comprehenditur ab Aristotele 2. cap. 2. Top. itémque 3. cap. 2. Top. 2. *Modus.*

Quibus exemplis demonstratur?

Duobus: Primo philosophico nudè concluso quo Academica ἐποχὴ ex Arcesilæ syllogismo disseritur argumento à specie, sed captiosè ex genere collecta: Assensio enim genus est: Scientia & Opinio eius species. Nunc quemadmodum hæc connexio (Si arborem habet; cerasum habet) fallax est: ita etiam hæc: Si sapiens vlli rei assentietur, etiam opinabitur: poterit enim assentiri certâ scientia vt non opinetur.

Vbi hîc Contradictio specialis?

(Vlli rei assentiri) pars specialis est: (Nulli assentiri) generalis. Sic, Aliquando opinari.)(Nunquam opinari,

Quod secundum?

Secundum est poëticum de re ethica nempe imprudentia Ouidij quam ipse arguit contrario effecto: Si saperem, odissem musas. At non odi musas. Ergo neque sapio. Propositionis consecutio ex eo est, quod carmina amatoria ei caussam calamitatis & exilij attulissent. Contradictio est specialis propria.

Quibus crypticis tractatur?

Prosyllogismis. Propos. præcedit cum prosyllogismo ex adiuncto detrimento. Assumptio sequitur illustrata similium allegoria ab offensione pedum. Complexio postrema est, quippe parenthesi inclusa.

Quid sequitur?

Hæ duæ, &c.] Claudit admonitione de frequentissimo connexi Syllogismi vsu. Habent enim hi duo modi vsum omnium maximum in communi sermonis consuetudine.

Vsus.

Quid ita?

Quia nullum ferè genus est argumenti, quod non aptè tractari his duobus modis possit: & pleraque argumenta quæ Syllogismos simplices fugiunt, facilius hac coniuncta dispositione explicantur, vt comparationes parium, maiorum, minorum, similium, dissimilium, notatio & cõiugatio. Itaque Aristoteles Syllogismi quidem connexi artem nõ exposuit; sed tamen vsum tam familiarem sæpissimè, & quidem in iudicanda Syllogismi definitione expressit.

Vnde tam celebris horum modorum vsus perspicitur?

Auctoritate & Experientia: quo pertinet λογότυπος ille, & breuis formula assumendi & concludendi Ciceroni in primis valde familiaris; quæ Connexorum syllogismorum quasi compendium est.

λογότυπος.

Qualis λογότυπος primi modi?

Sed illud; hoc igitur: item, Sed primum verum, postremum igitur; secundum igitur: item Antecedens verum; Igitur & consequens.

Qualis secundi modi?

Non autem hoc; nec illud igitur: item, Secundum falsum; primum igitur: item, Consequens falsum: antecedens igitur.

An non duo præterea modi à Theophrasto Eudemo & Boetio additi sunt?

Sunt quidem; imo vt ab ijsdem decies milleni modi connexorum enunciatorum; ita septuageni syllogismorum connexorum inuenti sunt: sed ij omnes his duobus legitimè comprehenduntur, quòd cæteri nullam è rebus ipsis,

ipsis, nedum è syllogismi collocatione perpetuam necessitatem habeant. vide 2 part.

CAP. XV. DE SYLLOGISMO disiuncto primo.

Syllogismus disiunctus est syllogismus compositus propositionis disiunctæ.

Modi duo sunt Primus tollit vnũ & reliquũ cõcludit: vt,

Aut dies est aut nox est:
At dies non est:
Nox igitur est.

Ciceronis pro Cluentio iudicium tale est: Sed cùm esset hæc illi proposita conditio, vt aut infrè pieq; accusaret, aut acerbè indigneq; moreretur, accusare quoquo modo posset, quàm illo modo mori maluit: Disiunctio clarior sic erit.

Aut accusandum aut moriendum:
Non moriendum:
Accusandum igitur.

Sic idem 2. Phil. ratiocinatur: Nũquam ne intelliges tibi statuendum esse, vtrum illi qui istam rem gesserunt, homicidæ sint, an vindices libertatis? Attende enim paulisper, cogitationem tuã sobrij hominis ad punctum temporis suscipe: & ego qui sum illorum, vt ipse fateor, familiaris, vt à te arguor, socius, nego quicquam esse medium: confiteor illos nisi liberatores populi Romani conseruatoresque Reipublicæ sint, plus quàm sicarios, plus quàm homicidas, plus quàm parricidas esse: si quidem est atrocius patriæ parentem, quam suum occidere. Tu homo sapiens & considerate, quid dicis? Si parricidæ, cur honoris caussa à te sunt & in hoc ordine, & apud Populum Rom. semper appellati? cur M. Brutus, te referente, legibus est solutus si ab vrbe plus quàm decem dies abfuisset? cur ludi Apollinares incredibili M. Bruti honore celebrati? cur prouinciæ Cassio & Bruto datæ? cur Quæstores additi? cur Legatorum numerus auctus? Atque hæc acta per te: Non igitur homicidæ, Sequitur vt liberatores tuo iudicio sint, quandoquidem tertium nihil potest esse. Si partes disiunctæ propositionis sint duabus plures, iudicandi concludendique ars erit eadem. Sic Cicero iudicat Rabirium cum Consulibus esse oportere: Atqui videmus (ait) hæc in

rerum natura tria fuisse, vt aut cum Saturnino esset, aut cum bonis, aut lateret. Latere autem, mortis erat instar turpissimæ: cum Saturnino esse, furoris & sceleris: virtus & honestas & pudor cum Coss. esse cogebat.

QVÆSTIONES EXPLICAT.

Quis Syllogismus disiunctus?

1. *Disiunctus.* *Syllogismus disiunctus est Syllogismus compositus propositionis disiunctæ.*] Defæst à genere & forma, quæ est propositionis disiunctio. Sic enim satis definitio perficitur, cùm ceteræ proprietates ex genere intelligantur.

Quid de disiuncto Aristoteles & interpretes?

Aristoteles licet de argumentis tantum cogitans, nihil de argumentationum formis præcipiat, has tamen reipsa aperuit 2.cap.2. Top. Interpretes igitur hanc artem excoluerunt & digesserunt.

Quot sunt eius Modi?

2. *Modi.* *Modi duo sunt.*] Dichotomia in modos seruatur: quidam etiam figuras vocant.

Quis primus?

3. 1. *Modus.* *Primus tollit vnum & reliquum concludit.*] Definitio est à forma assumendi & concludendi; quæ est assumptionis per contradictionem negatio, & Complexionis simplex affirmatio.

Qualis hic erit Contradictio?

Contradictio hîc quælibet valet siue sit generalis siue specialis. Et primus modus generalis omnino est, quocũq; modo partes disiunctionis afficiantur, siue affirmatè fiat omnes, siue omnes negatæ, siue mixtum sit hîc aliquid.

Quando igitur erit generalis vel Specialis?

Si propositio ipsa sit è generaliter disiunctis, etiã natura rerum feret. vt generalis contradictio assumi possit. Si autem disiunctio uera esse non possit, nisi è specialiter disiunctis: nõ poterit, nisi specialis contradictio assumi. Et causa est, quòd alterum tolli satis est, quoquo modo tolli possit, cum reliquũ maneat idem prorsus, vti propositum fuerat.

Quibus

Quibus exemplis demonstratur?

Tribus proprijs. Primum est nudum & physicum, de hoc singulari tempore argumento ex habitus priuationi oppositi negatione.

Quod secundum?

Secundum est Oratorium & explicatum de politica Q. An turpe sit Cluentium accusare & reum facere veneficij Oppianicum vitricum suum. Negatur & excusatur accusatio à Cicerone argumento à disparato per certæ conditionis disiunctionem: vbi nota tam Disiunctum quam Connexum posse dici hypotheticum & conditionale. Hinc igitur propositio est velut ἄμεσος καὶ αὐτόπιστος.

Quibus crypticis explicatur?

Traiectione partium: cum ita Complexio & Assumptio collocatione implicentur, vt illa præcedat.

Quod tertium?

Tertium item est oratorium & explicatum de politica Q. An percussores Cæsaris essent vindices libertatis: Affirmatur à contrario per disiunctionem.

Exige breuiter disiunctionem.

Aut sunt homicidæ, aut vindices libertatis,
At non homicidæ. Ergo vindices libertatis.

Quibus crypticis explicatur?

Prosyllogismis, & quidem λογικώτερον velut in Schola certamen disceptatur.

Retexe breuiter.

Propositio primum constituitur cum prosyllogismo à disiunctionis axiomate quod partes sint oppositæ sine medio: vbi attentio quasi iudicis logici exposcitur: tum Propositio iterato prosyllogismo maioris illustratur. Deinde sequitur altera attentio ad Assumptionis prosyllogismum ex percussorum adiunctis, Antonij effectis & testimonio confirmatis: Assumptio hæc est (At non sunt homicidæ vel parricidæ) quæ in prosyllogismi Complexione est: Prosyllogismus ad eam probandam sic constituitur; *Nunquamne. Attende. Confiteor.*

Si essent parricidæ: non essent honorificè appellati & tractati. At sunt, & quidem te auctore. Ergo non sunt parricidæ. Propositio prima est, cuius consecutio per partes *Si par.*

Atque hæc. Non igitur. exponitur. Aſſ. ſummatim cõprehenditur,& tandem complexio Diſiuncti Comp. poſtrema eſt cum Proſyllogiſmo auctoritatis Antonianæ & axiomatis ipſius diſiuncti. Marco Bruto Gallia togata, alteri Bruto Creta, Caſsio Libya, Trebonio Aſia, Cimhro Bythinia decreta erat. Legibus ſolui dicitur,qui neceſsitate parendi legibus liberatur.

Quid deinde ſequitur?

4. *Partes plures.* *Si partes diſiunctæ, &c.*] Obſeruatio aduerſus dichotomiam,quæ vix perpetuò retineri poteſt:attamen aſſumendi ratio in tollendo, & concludendi in retinendo par eſt. Nihil enim ad iudicium intereſt,in propoſitione diſiuncta duæ ſint partes,an plures. Neceſſaria quidem diſiunctio eſt ex contrarijs ſine medio: ſed certa conditione etiam ex diſparatis.i.pluribus vera eſſe poteſt.

Quale exemplum eſt?

Oratorium de politica Q. An Rabirius cum Conſulibus eſſe debuiſſet? Affirmatur diſparatorum duorum remotione: Rabirius aut fuiſſet cum Conſulibus aut cum ſeditioſis,aut latuiſſet. At nec cum ſeditioſis eſſe nec latere licuit. Ergo cum Conſulibus eſſe debuit.

Quibus crypticis explicatur?

Aſſumptio duobus proſyll. adiunctorum per ſimilitudinem. Complexio vno,cauſſarum illuſtratur.

Quæ hiſtoriæ ratio?

Cùm Rabirius accuſatus eſſet à ſubornato per Cæſarẽ Labieno quòd Saturninũ Tribunum plebis quadraginta antè annis necaſſet: Tullius eum perduellionis reum,imo damnatum, & cruci penè ſuffixũ hac defenſione liberauit, in quam,vide P.Rami prælectiones. Marius autem Cõſul cuius collega tum erat Valerius, ſenatuſconſulto tũ fuerat armatus ad coercẽdum ſeditioſum Saturninum:quare boni.i. optimates ad hunc opprimendũ etiam conuenerant.

CAP. XVI. DE SYLLOGISMO diſiuncto ſecundo.

DIſiunctus ſecundus è propoſitione partibus omnibus affirmata aſſumit vnum,& reliquum tollit,vt?

Dies

Dies est, aut nox est:
At dies est:
Nox igitur non est.

Sic Iuno cum Ioue de Turno concludit, 10. Æneid.

--Quid si quod voce grauaris,
Men e dares, atque hæc Turno rata vita maneret:
Nunc manet insontem grauis exitus, aut ego veri
Vana feror: quod vt ô potius formidine falsa
Ludar, & in melius tua, qui potes, orsa reflectas.

Eiusmodi syllogismus efficitur è propositione copulata negata, quæ negata complexio dicitur: quæque disiunctionis affirmatæ vim obtinet.

Non & dies est, & nox est:
At dies est:
Nox igitur non est.

QVAESTIONES EXPLICAT.

Quis disiunctus secundus?

Disiunctus secundus è propositione partibus omnibus affirmata assumit vnum & reliquum tollit.] Definitio à forma tribus proprietatibus expressa; quæ sunt & propositionis & assumptionis affirmatio, Complexionis autem negatio vel specialis contradictio. Neq; enim hic tam generalis est quam primus, quia propositio certis affirmationis legibus adstringitur, secus ἀσυλλόγιστος fuerit, quæ in primo liberior est, quod partes vel affirmantes, vel negantes, vel mixtas recipiat. Compl. autem necessariò etiam specialem contradictionem habebit: secus ἀσυλλόγιστος & inconsequens esset. 5. 2. *Modus.*

Quæ hîc exempla?

Duo: prius illud Physicum est nudè propositum argumento ab habitu Affirmato.

2 Poëticum est, Iunonis salutem periclitantis Turni à Ioue deprecantis; cùm Æneas Pallantis amici sui à Turno interempti cæde motus eum vindicaturus esset. Q. autem sic breuiter argumento ab adiuncta suspicione erronea, concluditur. Aut Turnus interficietur, aut ego fallor. At ego fallor. Ergo non interficietur.

Quibus

Quibus crypticis tractatur?

Prosyllogismo & partis vnius traiectione & iteratione. Q. enim proponitur, deinde Propositio, & porro Assumptio prosyllogismo à Caussa erroris, quæ est falsus metus per optationē illustrata sequitur, Complexio quæstionem postremo repetit.

Quid sequitur?

6. *Copulatio negans.*

Eiusmodi syllogismus efficitur.] Annotatio de copulatione negāte ex altera specie Enunciati Congregatiui, quæ imitatur disiunctum secundum, cum copulatus syllogismus ex sese nullus sit. Attamen partes hîc affirmatas esse, necesse non est; ideóque paulò latius patet. A græcis interpretibus ad 22. cap. 1. Prio. dicitur ἀποφατικὴ συμπλοκή, negans complexio. Est autem rarus hic syllogismus, propter durum & distortum genus enunciandi. Atq, ita denique Ramus plures Boëtij modos disiunctos logicè breuius & elegantius duobus comprehendit.

Cur de solo Syllogismo, vt argumentationis vnica forma explicauit?

Argumentationis formæ. *SYLLO.* *Enthyme.* *Inductio.* *Exemplum.* *Dilemma.* *Sorites.*

Quia solius Syllogismi collocatio necessariam consequentiam efficit; qua sola, reliquæ argumentationis formæ, quæ ab alijs recensentur, concludunt & iudicant, nec vllam collocationis & iudicij legem propriam habent. Itaque Enthymema est mutilatus syllogismus, de quo Ramus in crypsi: Inductio est nomen argumenti à partium enumeratione syllogistica lege concluſi: Exemplum argumentum à specie: Dilemma à contrarijs argumentum est; quem ideo syllogismum cornutum vocant, quod certis cōditionibus vtrinq; feriat: in quo est peculiaris quidem obseruatio vsus; sed nulla noua lex artis. SORITES seu gradatio, progressio est Enthymematica: qua duo Enthymemata pluráue gradatim addendo connectuntur. Et sæpe vna multis gradibus connexa propositione continetur, imo in vna syllogismi propositione capit interdum argumētationes multas, vt nominatim 2. parte demōstrabitur. Quia autem minutatim ac gradatim addit, & paulatim veluti congestis granis aceruum efficit, σωρείτης. i. acerualis appellatur.

latur. Est autem in rebus necessariò inter se connexis vtiliter inuentus: qui in longioribus mathematicis demonstrationibus mangnum plerunq; compendium attulit, sed in cæteris etiam rerum generibus valet. Etsi igitur artem nullam nouam habeat, & Syllogismi legibus contineatur; tamen non est negligendus, sed studiosè obseruandus: & quia huius gradationis captio periculosa & lubrica est, nisi res inter se cohæreant: singulari hîc etiã cautione opus est. *Vtilitas.*

GAP. XVII. DE METHODO SEcundum Aristotelem vnica.

METhodus est dianoia variorum axiomatum homogeneorum pro naturæ suæ claritate præpositorum, vnde omnium inter se conuenientia iudicatur, memoriáque comprehenditur. Atque vt spectatur in axiomate veritas & falsitas, in syllogismo consequentia & inconsequentia, sic in Methodo consideratur, vt per se clarius præcedat, obscurius sequatur, omninoq; ordo & confusio indicatur. Sic disponetur ex homogeneis axiomatis primo loco absoluta notione primum, secundo secundum, tertio tertium, & ita deinceps: ideoq; methodus ab vniuersalibus ad singularia perpetuò progreditur. Hac enim sola & vnica via proceditur ab antecedentibus omnino & absolutè notioribus ad consequentia ignota declarandum, eamq; solam methodum Aristoteles docuit.

QVAESTIONES EXPLICAT.

Quid est Methodus?

METhodus est dianoia, &c.] Def. Methodi à genere, Dianoia (Est enim altera species dianoëtici iudicij) & forma, quæ subiectorũ, in quibus consistit, tribus proprietatibus, & duplici fine informatur. Atq; hæc Definitio Lex est logicarum artis informandæ legum facile princeps: quæ communem artium formam sancit. I. *Methodus.*

Vnde dicitur Methodus, & quid significat?

A μετὰ cum, & ὁδὸς via, μέθοδος dicitur, quæ significat Ciceroni, rationem & viam, Quintiliano breue compendium: & generatim quodlibet argumenti, doctrinæ, &

& Methodi genus poteſt ſignificare. Sed hîc διάνοιαν. i. eam progreſsionis viam ſignificat qua natura priora perpetua ſerie ita collocantur, vt ad cognitionem artium rerúmque hoc ordine diſpoſitarum deducamur.

1. *Sed definitionem planius euolue: & primo quid genere ſignificatur?*

Dianoia genus, ſignificat aliud Axioma ex alio deduci; quæ communis Syllogiſmi ac Methodi Materia & forma eſt. Axiomata autem, in quibus Materia eſt, ſunt de rebus ſubiectis facta, vt Logicæ Axiomata. i. regulæ de ratione eiúſq; viribus, Grãmaticæ de puro ſermone, &c. Forma cõmunis eſt axiomatũ deductio, & collocatio; quæ deinceps ſyllogiſticæ & Methodicæ collocationis dũtia diſtinguitur

At Syllog. Materia eſt Q. & tertium argumentum.

Syllogiſmus Quæſtionem per tertium quidem argumentum, ſed certa axiomatum è Quæſtione & tertio argumento factorum deductione iudicat. Itaque ſyllogiſmus Enunciata non facit, ſed facta anteceſsionis & conſecutionis forma digerit.

An igitur ſola axiomata ſunt Methodo propoſita?

Argumentũ, res ſimplex & nuda conſideratur, atq; abſq; Enunciatis in vſu nullum eſt, ideoque ſemper Enunciato vt materia proponitur. Enũciatum porro ſeu Axioma eſt prima ſimpliciſsimáq, diſpoſitio; ſed deinceps etiã res & Materia & diſpoſitioni, nempe Syllogiſmo vel Methodo propoſita. Syllogiſmus tandem etiam eſt Diſpoſitio, ſed aliquando etiam res diſpoſitioni nempe Methodo propoſita, quando cum Enunciatis, quæ eius lucem requirunt, in Methodum incidit. Propriè autem Axiomata i. Enunciata dicuntur Methodo propoſita, quod ea ſemper & ſæpe ſola Methodo diſponantur. Methodus autem ſemper eſt Diſpoſitio & quidem ſumma & poſtrema, nunquam autẽ res alij diſpoſitioni propoſita.

At vero etiam in Syllogiſmo Methodus eſt, cum legitimo ordine ex generalibus ſpecialia cõcluduntur: quomodo igitur Syllogiſmus eſt res Methodo propoſita & non ipſa Methodus?

Diſtinctio ex formis. Hæc diſtinctio ex formis petenda eſt: In Syllogiſmo atten-

attenditur dispositio argumenti sic vel sic antecedenti aut consequentis: in Methodo absolutè prioris & notioris. Nunc si etiam aliquando notius sit in prima parte Syllogismi: intelliges in vno eodémque exemplo Syllogismi & Methodi considerationem concurrere; sed vnamquámque tamen propriam & distinctam esse, aliam Syllogismi & aliam Methodi; quemadmodum in vnam eandémque rem duplex argumenti consideratio diuersa tamen ratione etiam incidit. Attamen nec in Syllogismo semper à generalibus, sed sæpe etiam à specialibus proceditur & concluditur. Sit igitur aliquando in Syllogismo vmbra quædam & quasi pars Methodi: At verò syllogismus non est Methodus nec vllum Methodi præceptum continet: quæ omniũ dispositionum vltima est, vltra quam alia dispositio in logicis nulla sit.

Quid igitur censes de Dispositione Rhetorica?

Ea non Rhetoricæ sed Dialecticæ propria est; è qua, vt & Inuentio, tanquam ex fonte riuuli in Rhetoricam est deriuata, & ad caussarum genera accommodata; & quidem Synecdoche generis pro Methodo oratoria vsurpata. Sic autem vnica Methodus à generalibus, quam omnes auctores consectantur, à Poëtis poëtica, ab Oratoribus oratoria & similiter nominari potest. *Methodus oratoria poëtica.*

2. Secundò quæ subiectorum proprietates, quibus forma informatur?

Axiomata Methodo proposita erunt primum varia, deinde homogenea, tertiò pro naturæ suæ claritate præposita.

Cur aut quomodo varia?

Quia de vnius aut paucorum ordine non admodum laboratur; & in vnam Artem aut quamlibet aliam Commentationem varia præceptorum & sententiarum axiomata incidunt. Et quoniam illorum gradus sunt, sic Methodus est generalium, subalternorum & specialium rectè ordinandorum. 1. *Varia.*

Cur, & quomodo Homogeneorum?

Lex κατ' αὐτὸ de interna Materiæ artium forma cum cæteris præcipiens, artes omnes ex Homogeneis & cognatis 2. *Homogen.*

constare

conſtare docet, ideoque heterogenea & aliena exterminat. In cæteris commentationibus quæcunq; axiomata quamlibet vnam quæſtionem continent, & explicant ita vt ad vnum ſcopum & finem dirigantur, ſunt quodammodo homogenea, ſi non abſoluta illa & ante definita ratione, ſaltem eius imitatione & qualicunque conſenſione, qua vnum ſcopum intuentur. Sic omnia Enunciata in præſtantib. poématis & orationibus ſunt homogenea. Hæc autem proprietas in Forma Methodi inculcanda eſt, quòd cohærentiam ipſam ſpectet.

Cur, & quomodo pro naturæ ſuæ claritate præponuntur?

2. *Pro claritate præpoſita. Nota.*

Hæc proprietas duo rurſum comprehendit: vnum, quod etiam cummuniter ex genere vtcunque intelligtur, vt nota claráque ſint; alterum, quod aperte exprimitur illúdque continet, vt ex illa notitia & claritate dirigantur. Nota & manifeſta erunt ſuo vel ſyllogiſtico iudicio, vt ex ſuperiori doctrina intelligitur, Axiomata eſſe per ſe manifeſta, vel dubia, quæ Syllogiſmo iudicentur, vnde ſic iudicata & ſuis iudicij formis compehẽſa ad hoc ſummum Ordinis tribunal veniunt. Cùm igitur ignotorum ordo quæri non poſſit, nec præteritis prioribus iudicijs, extremum arripiatur: Axiomata pro claritate nempe cognita & manifeſta collocãtur. Et quia ſuæ lucis & iudicij formis cõprehenſa collocantur: intelligimus Methodum ſæpe è ſolis manifeſtis enunciatis conſtare, vt in Artibus iam iudicatis, ſæpe Syllogiſmos, Enunciatorum dubiorum iudicia, permiſtos habere, vt in poematis & orationibus. Ergo quo vnumquódque Axioma notius eſt & clarius, eò magis debet præcedere, vt infra declarabitur.

Tertio quibus finibus forma Methodi illuſtratur?

3. *Fines duo.*

Duobus, vno ordinis & conuenientiæ, altero memoriæ. Methodi enim ij ſunt fructus, vt rerum conuenientia iudicetur, & res cognitæ facilius memoria comprendantur. Nã cùm à rebus notioribus & clarioribus, id eſt generalibus, ad ignotas, hoc eſt, ſpeciales declarandum progrediatur, cõuenientiæ illo iudicio faciliorem tum cognitionem

tum

tum memoriam parit.

Hinc Methodus á generalibus rectè Intelligentiæ & Memorię mater, Confusio autem á specialibus, intelligentiæ, & Memoriæ noverca nominatur. Sed res generales notiores esse infra dicitur. *Intelligentiæ & Memoriæ mater.*

Quid spectatur igitur in Methodo?

Atque vt spectatur, &c.] 1. Axioma seu regula Proprietatis, ad illustrandam definitionem collatione trium judiciorum logicorum fines seu fructus explicat. judicat enim suis legibus primum Axioma veritatem manifestam simpliciter, vnde contraria falsitas intelligitur; deinde syllogismus consequentiam Axiomatis dubij, vnde contraria inconsequentia intelligitur: tandem Methodus axiomatũ notorum & pro sua claritate collocatorum Ordinem, vnde pariter contraria confusio intelligitur. Atque vt suis formis distinguntur, vt Axioma argumentum cum argumento disponat, quo esse aliquid aut non esse judicetur; Syllogismus ita Axioma ex axiomate deducat, vt tertij argumenti antecedentis vel consequentis ad concludendam quæstionem rationem habeat; Methodus denique vt natura priora & notiora præcedant: ita etiam illos distinctos fines spectánt, & fructus propositos habent. 2. *Fructus.*

Quomodo igitur naturæ claritate axiomata disponuntur?

Sic disponitur, &c.] 11. Axioma formam pro naturæ claritate collocandi gradatim explicat; vnde Consectariam nominatim de notioribus & minus notis déque vnica Methodo colligitur, atque auctoritate Aristotelis approbatur; quæ perpetua Methodi Lex est. 3. *Natura prior.*

Quæ sententia illius Consectarij?

Ea hoc Syllogismo continetur:

Per se absoluta notione primum in Methodo præcedet, proxima sequentur ad consequentia ignota declarandum.

At vniuersalia sunt per se & absoluta notione prima; subalterna proxima, singularia infima minúsque nota.

Ergo Methodus ab vniuersalibus perpetuò progredi-

tur

tur, eáque docendi & explicandi res cognitas via vnica est.

Quomodo Assumptionem probas?

Propos. Duobus modis aliud alio notius & illustrius est, Caussa & Subiecto. Nam Dissentanea & Comparata sunt æque nota; Orta suos prima imitantur. Sed quod per Caussam notius est, id propriè absolutéque notius est; quia Caussæ ad essentiã pertinent Hinc Aristoteles 2 cap. 1. post. definit tanquam prima & summa claritatis luce, Scire esse per caussam nosse, propter quam res sit, indéque Methodi ordinem deducit, quod omnis scientia progrediatur à caussis primis & immediatis, tanquam à rebus clarissimis & notissimis. Itaque in arte notiora absolutè euidentioráque axiomata, id est, quæ Caussas vel subiecta sequentium continent, passim præcedent.

Assumptio. Nunc autem generalia & vniuersalia communes specialium & singularium caussas continent; ideóque pluribus insunt: possunt intelligi absque specialis intelligentia; nec ab ijs essentiæ consecutio reciprocationem admittit. Hinc enim Aristoteli αἰτιώτερα, ἀρχειδέστερα, ἁπλούστερα, ideoque ὁπτημωτικώτερα nominantur. Vniuersalia autem communia Aristoteles dicit, quæ pluribus insunt: ideóque simpliciora, quæ non ita ad multas proprietates vt specialia adstricta sint. Sic in Grammatica litera prior & magis vniuersalis est quam syllaba, syllaba quam vox, vox quam oratio: in Logica argumentum quam Enunciatum, &c.

Compl. Ergo vniuersalia & generalia passim sunt absoluta notione priora, ideóque in Methodo præponuntur. Hoc Aristoteles multis locis ostendit, & hinc vnicam Methodum confirmat: ad quam asserendam P. Ramus illa testimonia in Scholis colligit: & hanc sententiam esse Hippocratis & Platonis ostendit, omnibúsque argumentis quæ ab Interpretibus & à Galeno contra proferuntur, docté respondet. Postremò induxit omnes Artes omnésque egregios scriptores testes & astipulatores Aristoteleæ sententiæ, vt inde pateret, Methodum à generalibus vnicam esse artium lucem, & quidem lucem omnium rerum communem. Sed de varijs Methodi speciebus ab Interpretibus confictis, vide 2. partem.

Quomod

Quomodo igitur descendit à generalibus ad specialia?

Sic ab vnitate per media genera ad indiuiduam multitudinem descenditur, vt Plato loquitur: & γενικώτατον generalissimum summo loco, ὑπάλληλα subalterna intermedio; εἰδικώτατα specialissima infimo loco collocantur, vt peripatetici loquuntur.

Hoc planius dicas & quidem generalium specialiumq; logicis nominibus?

Hoc deinceps Inductione Artium & omnium excellentium scriptorum, quibus testibus vnica Methodus illustratur, clarius intelligetur. Methodi enim vnica Lex & via est, A generalibus ad singularia perpetuo progredi, vel, Natura priora præcedere: sed ea in Artibus, Orationibus poëmatis, & Historijs aliquando diuersis vspiam nominibus appellantur.

Quo modo?

In Artibus generalissimum dicitur Definitio, & Subalternis proximum Partitio vel Diuisio; & sic partium rursus Definitiones, partitiones, & proprietatum explicationes, atque per exempla demonstrationes. In cæteris auctoribus summa quædam Comprehensio quasi Definitio est, vt Exordium, (quod tamen aliquãdo nullum est) Propositio rei explicandæ, & sic deinceps Partitio & specialis partium explicatio Confirmatio & dissentaneorum Refutatio, vt deinceps patebit. *Artium ordo.* *Ordo in cæteris.*

CAP. XVIII. DE PRIMA METHODI illustratione per exempla artium.

SEd Methodi vnitatem exempla doctrinarum & artium præcipuè demonstrant præcipueq; vendicant, in quibus quamuis omnes regulæ generales sint & vniuersales, tamen earũ gradus distinguuntur: quantóque vnaquæque generalior erit, tantò magis præcedet. Generalissima loco & ordine prima erit, quia lumine & notitia prima est: subalternæ consequentur, quia claritate sunt próximæ: atque ex his natura notiores præponentur.

minus notæ ſubſtituentur, tandemq; ſpecialiſſimæ conſtituentur. Definitio itaque generaliſſima prima erit: diſtributio ſequetur quæ ſi multiplex fuerit, præcedet in partes integras partitio: ſequetur diuiſio in ſpecies: parteſq; ipſæ & ſpecies eodem ordine ſunt rurſus tractandæ, ac definiendæ, quo diſtributæ fuerint: & tranſitionum vinculis ſi longior inter eas interſit explicatio, colligandæ ſunt: Id enim auditorem reficit ac recreat: atque vtrei familiarius accipiatur, exemplo quoque familiari nobis viendum eſt. Omnes definitiones, diſtributiones, regulæ grammaticæ repertæ ſint, atque vnaquæque ſigillatim iudicata: omniaque hæc documenta variis tabellis inſcripta, vna confundantur & conturbentur in hydria aliqua, vt in Ollæ ludo fieri ſolet: hic ſi quæras, quæ pars Dialecticæ te doceat has regulas ita confuſas diſponere & in ordinem redigere: primò loco inuentionis nihil opus eſt, cùm ſint omnia reperta: neque primo axiomatis iudicio, cùm vnumquodque axioma probatum & æſtimatum ſit: neque ſecundo ſyllogiſmi iudicio opus, cùm ſint omnes ſingularum rerum controuerſiæ his de rebus diſceptatæ & concluſæ, ſola methodus ſupereſt. Dialecticus igitur lumine methodi artificioſæ, ſeliget in hac vrna definitionem grammaticæ (idenim eſt generaliſſimum) & primo loco ſtatuet. Grammatica eſt doctrina bene loquendi: tum requiret in eadem vrna partitionem Grammaticæ, & collocabit ſecundo loco. Partes Grammaticæ ſunt duæ: Etymologia & Syntaxis. Deinceps in eodem vaſe definitionem Etymologiæ de vocibus ſeparabit, & tertio gradu antecedentibus adiunget: tum vocis partes in literis & ſyllabis, ſpecieſq; in vocibus numeri & ſine numero requiret, eiusmq; tranſitiones ſuis locis collocabit. Atque ita omnium etymologiæ partium definitiones, diſtributiones, colligationes, exempla denique ſpecialiſſima in ſingulis diſponet. Idemque in Syntaxi faciet. Hanc viam omnes artes ſibi propoſuerunt.

QVAESTIONES EXPLICAT.

Quæ prima Methodi vnicæ illuſtratio?

1. Illuſtrat. Methodi.

SEd Methodi, &c.] 1. Illuſtratio eſt per exempla artium, quarum exemplo & teſtimonio vnica Methodus à generalibus vnica earundem lux eſſe docetur: atque hæc ſenten-

sententia initio proponitur.

Quomodo propositum deinceps explicat?

Accommodatio formæ.

In quibus quamuis.] Prolepsi ex lege κατὰ παντὸς de comparatione vniuersalis veritatis eiúsque graduum ingreditur ad Formæ Methodicæ accommodationem ad artium informationem: de qua generale præceptum inde colligitur.

Quodnam illud præceptum?

Præcept. generale.

Generalissima loco, &c.] Præceptum generale est de artium Methodo informanda ex communi Methodi forma, gradibus adiunctæ lucis expositum: vbi nota tum subalternorum distinctionem, tum specialissima passim exempla esse.

Quæ præcepti explicatio?

Definitio itaque] Explicatio est à nominatis speciebus generalium, subalternorum & specialissimorum. Artium enim informandarum Lex & via consistit in his gradibus, Definitione, Partitione, Partium, proprietatúmque explicatione (sic enim sæpe axiomata proprietatum cum definitionibus iunguntur) & denique illustratione per exempla.

Quod de ordinis continuatione præcep.

Transitio.

Et transitionum vinculis, si longior inter eas intersit explicatio, colligandæ.] Præceptum speciale de Transitionibus, quod tamen cæteris rebus cum artibus commune est. Transitio autem est, perfecta, quę & præteritarum & consequentium rerum admonet, vel imperfecta, quæ tantum consequentium. Arguitur autem effecto.

Quomodo hæc generalis adumbratio Methodi artium declaratur?

Exemplo speciali Grãmaticæ, quod initio fine proponitur, deinde eius confusa & indigesta Materia simili declaratur; postremò remotione cuiusuis earum. i. Inuentionis & Iudicij Materię primi, postremum iudicium de forma ordineq;

infertur; quo inuentæ & iudicatæ regulæ in Ordinem artis rediguntur.

Quomodo igitur Grammaticæ formæ Methodica adumbratio exprimitur?

Grammaticæ ordo.

Dialecticus igitur lumine Methodi.] Adumbratio Methodicæ in Grammatica formæ talis: Def. Gram. Partit. in Etym. & Synt. I. Def. Etym. Def. Vocis: Partitio Vocis: Diuisio Vocis. Explicatio generum, Transitiones, Exempla. II. Defi. Syntaxeos, &c.

An hac forma omnes artes informandæ sunt?

Imo vero hanc formam omnes artes ab Aristotele, Ciceronе, Quintiliano, cæterísque præstantibus hominibus descriptæ sibi proposuerunt: & si ab illis auctoribus quæras cur hoc præposuerint, illud post posuerint; suum factū Methodi legibus defendent. Etsi igitur quædam incerta & fortuita in arte collocauerint, quædam aliena permiscuerint, multa impropriè per tautologiam repetiuerint, quæ fuit vel humani ingenij & primæ obseruationis infirmitas, vel refractaria rerum à multis obseruatarum confusio, vel denique consuetudinis error: tamen hanc viam omnes sequi voluerunt, quamuis non vsquequaque recta ingressū sint atque institerint.

Quid? An igitur P. Ramus vera Methodo artes descripsit?

Conatus est quidem, quantum assequi potuit; ad eámq; rem Naturæ & Aristotelis Leges tam studiosè amplexus est, omnibúsque ad artium legitimam informationem, verúmque vsum assequendum tanta cura commendaunt, vt in hac suasione artiúmque fabricatione bona ætatis pars ei consumpta, & vita ipsa posita, imo tam diuini studij inuidia diuturnáque simultate per vim erepta sit. Et quoniam Dialectica artium reliquarum Magistra esset; in hoc logicæ fabricandarum artium instrumentum & poliendum, & acuendum, & modis omnibus exercendum summo studio incubuit. Atque ita omnes artes & artifices vnicam à genetalibus Methodum reipsa comprobant.

CAP.

CAP. XIX. DE SECVNDA METHODI illustratione per exempla poetarum, oratorum, historicorum.

ATqui Methodus, non solum in materia artium & doctrinarum adhibetur, sed in omnibus rebus, quas facilè & perspicuè docere volumus, ideoq; poëtæ, oratores, omnesq; omnino scriptores, quoties docendum sibi auditorem proponunt, hãc viam sequi volunt, quamuis non vsquequaque ingrediantur atque insistant. Virgilius in Georgicis distribuit propositam materiam in quatuor partes, vt antè dixi: primoq; libro res communes persequitur, vt Astrologiam, Meteorologiam, deq; segetibus, & earum cultu disserit, quæ pars operis prima erat tumq; trãsitio adhibetur initio secundi libri.

Hactenus aruorum cultûs & sydera cæli,
Nunc te Bache canam----

Deinceps scribit generaliter de arboribus, tum specialiter de vitibus. Transitio secunda adhibetur ad tertiam partem, sed imperfectior & sine epilogo Tertij libri initio de bobus, equis, ouibus, capris, canibus.

Te quoque magna Pales, & te memorande canemus,
Pastor ab Amphryso.----

Tandem initio quarti libri transitio tertia est de quarta parte, sed item imperfecta è solâ propositione de apibus.

Protinus aërij mellis syluestria dona
Exequar.----

Sic igitur poëta generalissimum primo, subalterna medio, specialissima extremo loco ponere studuit. Sic Ouidius in Fastis, dispositionis huius gratiam sequitur: proposuit initio summam operis.

Tempora cum causis latium digesta per annum:
Lapsaque sub terras, ortaque signa canam.

Mox imploratione facta, partitionem anni statuit, factam à Romulo primum in decem menses, quam reprehendit:

Tempora digereret cùm conditor vrbis, in anno
Constituit menses quinque bis esse suo.

Et paulò post Numæ diuisionem pleniorem adiungit:

At Numa nec Ianum nec auitas præterit vmbras:
Mensibus antiquis præposuítque duos.

Denique varia communes differentias inter præceptus diei fasti, nefasti, comitialis, nundinalis, calendarum, nonarum, iduum, tum alii, tandem, vnumquenque mensem suo loco prosequitur, & præfatione ordinis huius à generalibus ad specialia studium indicat:

Hæc mihi dicta semel, totis hærentia fastis,
Ne seriem rerum scindere cogar, erunt.

Tandem singulis partibus expossitis, transitio coniungitur, vt in fine primi, & initio secundi:

Sed iam prima mei pars est exacta laboris,
Cúmque suo finem mense libellus habet.
Ianus habet finem, cum carmine crescat & annus:
Alter vt it mensis, sic liber alter eat.

In singulis libris postea transitiones adhibentur, sed minus accuratè. Oratores in proœmio, narratione, confirmatione, peroratione hunc ordinem affectant, eúmque aliis & naturæ & rei ordinem, appellant, & interdum studiosius affectarunt, vt in accusatione Cicero primùm proponendo, tum partiendo, Quæstor (inquit) Cn. Papyrio Cos. fuisti abhinc annis quatuordecim, & ex illa die ad hanc diem quæ fecisti, in iudicium voco, hora nulla vacua furto, scelere, crudelitate, flagitio reperietur. Propositio hic & definitio summæ rei est, tanquam in hoc iudicio generalissima. Partitio sequitur: Hi sunt anni consumpti in Quæstura & legatione Asiatica, & Prætura vrbana, & Prætura Siciliensi: quare hæc eadem erit quadripartita distributio totius accusationis meæ. Quas partes quatuor, earúmque partium particulas deinceps suo quamque ordine, & loco tractauit, & transitionibus copulauit, tres primas tertio libro Quamobrem (ait) Quæstura istius demonstrata, primique magistratus & furto & scelere perspecto, reliqua attendite. Tum verò expositis legationis criminibus, transitio ad Prœturam, sequitur. Verum ad illam iam veniamus præclaram Prœturam, criminaque ea, quæ notiora sunt his, qui adsunt, quam nobis, qui meditati ad dicendum paratique venimus. Transitio hæc imperfectior est sine epilogo: tandem principio quartæ orationis

transitio

transitio est consimilis ad quartam partem de Praetura Siciliensi: Multa mihi necessario, iudices, praetermittenda sunt, vt possim aliquo modo de iis rebus, quae meae fidei commissae sunt, dicere: recepi enim causam Siciliae: ea me ad hoc negotium prouincia attraxit. Sic Liuius sionnam septingentorum annorum initio complectitur, tum per decades diuidit.

QVAEST. EXPLICAT.

Quae secunda Methodi illustratio?

2. Illust. Meth.

ATqui Methodus.] Secunda Methodi illustratio per exempla omnium excellentium scriptorum, collatione primae proponitur, & fine, quoties perspicuè docendum sit, diuersóque, quod vspiam non recta ingrediantur, sed digrediantur, illustratur. Nam etsi Oratores praecipuè & Poetae vel dedita opera digrediantur, vel errore vspiam labantur, vt Methodi vestigijs, non vsquequaque insistant: tamẽ consensus omnium est vnus & idem, quod à generalibus ad specialia progredi velint. Ergo vt inuentio inueniendi, Enunciatum Enunciandi, & Syllogismus concludendi, quid quoquo modo inueniri, enunciari et concludi possit sic METHODVS omnis materiae, quae quidem Methodici ordinis capax fuerit, ordinandae et collocandae commune instrumentum est.

Qui igitur hic ex omnibus praecipui testes producuntur?

Poetae, Oratores, et Historici: hi enim omnium personam sustinent.

1. Qui Poetae?

E latinis praestantissimi, Virgilius et Ouidius.

Quale exemplum Virgilianum?

Georgicum: Nam in Aeneide quidem eadem Methodus est, sed crypsi vspiam occultata, vt infra dicetur. Georg. ordo.

Quae igitur summa Georgici operis, & Methodi adumbratio?

Totum ipsum, seu propositum summáq; Rei definitio est, Georgicum opus de agricultura; vt ex Titulo intelligitur et partitione comprehenditur. Partitio est, Dicam de Definit.

Inuoc. Segetibus, Arboribus, Pecore, & Apibus. Inuocatio sequitur, ex adiuuantibus, qui est Ingressus ad Explicationem.

4. Explic. 1. p. & hic cõmu. Porro Explicatio primæ partis proponitur, Vere nouo, &c. Sed quoniam hîc quædam communia incidunt de Astrologia & Meteorologia, de ijs primum communiter & sic

5. Transit. 6. Explic. & transit. reliq. de segetibus disserit. Tum deinceps à prima parte est Transitio ad secundam, & sic partium explicatio continuatur,

7. Perora. Transitionibúsque colligatur, & tandem concluditur, vt Ramus demonstrat, & tandem accommodatione claudit.

Quale exemplum Ouidy?

Fastorum ordo. Physicum & Historicum de Fastis. i. anni descriptione per menses singulos & singulorum mensium dies festos, profestos, fastos, & nefastos.

Quæ igitur summa totius operis & partium adumbratio?

1. Definit. 2. Inuoca. 3. Part. 4. Expl. 5. Transi. 6. Concl. Totum ipsum, seu summa rei Comprehẽsio initio proponitur: Inuocatio sequitur ab adiuuantibus, Partitio statuitur primò vitiosa, deinde emendata. Hinc communium generaliúmque, deinde partium explicatio, pérque Transitiones colligatio, & tandem concluſio. Romulus annum in decem menses distribuerat: quibus Numa secundus rex, annum ad solis cursum dirigens, duos menses addidit, Ianuarium in honorem Iani, & Februarium, à februis, id est, purgamentis, quod tum populus februaretur. i. lustraretur & purgaretur celebratis per duodecim dies Februis, quibus pro impetranda mortuorum animabus quiete piaculis sacrificijs, circa sepulcra accensis facibus cereisque intentus erat. Nota Nefastos dies quibus non licebat iure experiri, quando Prætoris ius dicentis verba tria, Do, scilicet potestatem in ius vocandi. Dico, scilicet sententiam, Addico controuersiam victori attribuo, silentur. Item Interciſos, qui manè essent nefasti, à meridie fasti. Comitiales, quibus populi conuentus & comitia habebantur. Nundinales, cùm tribus rusticæ nono die, cum octo dies opus rusticum fecissent, cessabant, Romámque ad mercatum & audiendas leges conueniebant. Atros dies. i. infaustos, religiosos, quibus Respub. malè & infeliciter gesta erat: quales Romani postridie Kalendas, Nonas & Idus.

Nefasti. Comitial. Nundinales.

Hærentia

Hærentia totis fastis communia & generalia intelligit, quæ semel sint ex lege tertia dicenda & exponenda. *Ne seriem.*] Aperte studium Methodi significat; & Aristotelis ἀπόδειξιν & ἐπαγωγὴν demonstrationem Inductionémque methodicam, quæ nisi seruetur, ordinis confusionem & tautologiam futuram.

2. Qui Oratores inducuntur? *Oratores.*

E latinis præstantissimus Cicero; sed initio omnium Methodicus ordo præcipuis partibus, earúmque oratorijs nominibus breuiter adumbratur.

Quæ præcipuæ illæ Methodi Oratoriæ partes?

Rhetores vocant partes Orationis seu Dispositionis, quas à Logicis mutuati in sua illa forensi Rhethorica ad Causas accommodarunt, singuláque proprijs quasi Inuentiunculis rerum explicandarum illustrarunt: quæ non sunt communia sed quædam specialia præcepta ex communibus logicis deducta, plurimísque hominum expertorum consilijs declarata. *Partes orationis.*

Quot igitur partes Methodicæ orationis?

Varia sunt & incerta, quæ à Rhetoribus de partibus Orationis earúmque ordine præcipiuntur: Tullius Oratorio secundo facit Methodum duplicem, vnam Naturæ & artis; alteram Prudentiæ & iudicij Oratoris. Naturæ facit has quatuor partes, Exordium, Narrationem, Confirmationem cum Refutatione coniunctam, & Perorationem. In partitionibus varias ordinis species ad varias quæstiones accommodauit; atque hanc varietatem non ad docendum tantum (hîc enim vnicum artis & Naturæ ordinem profitetur) sed etiam ad declarandum & mouendum .i. ad fallendum auditorem refert. Eum Quinctilianus secutus est. Alij etiam è quatuor illis partibus sex faciunt, Exord. Narr. Propositionem, eiúsque Partitionem, Confirmationem, Refutationem, & Perorationem. Ex his autem mediæ magis propriæ sunt, Exordium, & Peroratio extrinsecus accedunt, & aliquando omittuntur Sed siue duæ, siue quatuor plureſue sint partes, semper Summa quædam causſæ præcedit, partes deinde, si multiplex ea sit diuiduntur, & denique ordine explicantur.

Quid igitur Logicus ad illam varietatem respondet?

Methodum Naturæ artísque à generalibus vnicam ipsa ab Oratoribus doceri, sed varijs admonitionibus & cõsilijs ad cauſſas pro ratione temporum & personarum accommodari. Hæ enim quasi Magiſtrorum in Scholis admonitiones ſunt de generalibus præceptis rectè vſurpandis & accommodandis. Nam dum iubent primo loco eſſe Proœmium, ſecundo Narrationem, tertio Confirmationem, quarto Perorationem: hæc primi, ſecundi, tertij, quarti loci deſignatio methodica forma eſt. Exordium enim rem ſummatim quaſi communis Deſcriptio, comprehendit & proponit: Narratio planius explicat, & ſemina iacit futuræ diſputationis: Confirmatio ſeu Contentio ſeu Explicatio & Tractatio exponendo, confirmando vel refutando propoſitum particulatim exequitur: Peroratio ſummatim colligit atque ad finem & ſcopum dirigit.

Quid vero ad Prudentiæ ordinem, & Temporum gradus, quos Cicero ait ſeruari in Demonſtratiuo genere, & quod alias à minoribus aſcendendum, alias à maioribus deſcendendum, & inæqualia & læta triſtibus, &c. miſcenda eſſe ait?

Prudentiæ ordo non eſt Methodi diſtincta ſpecies, quia certa forma ab Artis ordine non diſtinguitur, ſed eſt tantum crypſis & anomalia veræ Methodi, quam non vniuerſam inuertit, ſed partibus quibuſdam immutat. Temporum autem gradus omnino in veram Methodum cadunt. Nam & generalia ſpeciatim diſtributa tempore priora ſunt: Et quæcunque tempore priora ſunt, modo ſint homogenea propoſito, ſunt etiam magis generalia & communia, ideóque in Methodo præponenda. Cætera quæ à Cicerone accumulantur, partim quædam Methodi legitimæ continent, partim ad crypticam prudentiam, de qua infra, pertinent, & declarationis quaſdam vias docent.

Sed cur Ramus hic nulla præcepta Exordiendi, narrandi, confirmandi, & perorandi informat?

quæ

quæ partes si propriæ logicæ sint, earum etiam à logica artificium doceri debuit.

Generatim hæc definitione & generali Methodi præcepto informantur, vt definiendo proponamus, partiamur, & ordine explicemus: quibus membris quasi Corpus orationis constituitur: atque hæc ab ordine Ororio illustratio est specialis exempli ad illa generalia præcepta accommodatio. Et quoniam mediæ partes illæ principes sunt; Exordium & Peroratio magis aduentitiæ, quam ad rem explicandam necessariæ: harum ratio, quæ etiam temporibus commutatur; potius ab exemplis petenda est, quàm præceptis informanda; quæque extant præcepta satis varia & incerta, ea potius expertorum hominum consilia, quàm vera & legitima artium præcepta sunt. vide 2. partem.

Quale exemplum Ciceronis adhibetur?

Exemplum valde præclarum Actionis Verrinæ, quæ duplex fuit: & vtramque antecesserant Diuinatio & Oratio secunda. Actio autem prima tota in testium interrogatione fuit: itaque scripta non est. Secundæ actionis supersunt libri quinque in quorum primo (qui omnium tertius) hæc Propositio partitióque adhibetur. *Verrinæ.*

Quæ igitur summa Methodi?

Exordium seu Ingressus ad Caussam satis longus: Propositio Quæstionis explicandæ. Quæstor, &c. Partitio quadripartita, quæ facta est ad genera Magistratuum, non propositorum criminum: Hi sunt anni, &c. Explicatio partium vt propositæ sunt, nempe, 1. Quæsturæ, vnde Trãsitio, 2. Legationis, Asiaticæ, vnde rursus Transitio; & 3. Prætutæ vrbanæ, vna Verrina tertia; deinde initio quartæ est Transitio ad quartam partem, de Prætura Siciliensi, eiúsque Explicatio quatuor reliquis Verrinis continuatur, nempe quarta de iurisdictione, quinta de frumento, sexta de signis, septima de supplicijs. Atque hic ordo est Methodus à generalibus. *Verrinarum ordo.*

3. Qui Historici testes producuntur?

Liuius instar omnium. Et quanquam Historia res dissipatas & plerunque valde dissimiles complectatur: attamen *Liuius.*

attamen gradus temporum fere sequitur; & proponit aliquando summam propositúmque partitur.

Quæ igitur Methodi Historiæ Livianæ adumbratio?

Propositio Historiæ annorum supra septingentorum: deinde Partitio etsi non nominatim proposita, tamen reipsa facta per Decades, & per singulos annos, vt Expositio gradatim ostendit, atque eiusmodi Distributio ab interprete initio commonstrabitur. Florus Historiam eandem breuiter proposuit; & apertiore logici ordinis studio, in quatuor ætates distribuit. Atque ex hac Inductione appareret, omnes artes omnésque præstantes auctores vnicam à generalibus Methodum consectari.

CAP. XX. DE CRYPTICIS Methodi.

HAEc igitur in variis Axiomatis homogeneis suoq́, vel syllogismi iudicio notis methodus erit, quoties perspicuè res docenda erit. At cum delectatione motuúe aliquo maiori, in parte aliqua fallendus erit auditor, homogenea quædam reijcientur, vt definitionum, partitionum, transitionúmque lumina: quædam assumentur Heterogenea, velut digressiones à re & in re commorationes, sed præcipuæ rerum ordo initio inuertitur, antecedentiaque nonnulla consequentibus postponentur. Itaque ad illam perfectæ methodi regulam hæc alicubi imperfectior forma, non solùm detractis rebus mutila est vel superadditis redundat, sed ordinis sui quibusdam gradibus inuersa præposterа est. Quod Poëta facit maiore quadam artificij specie, dum populum ducendum sibi proponit, id est, belluam multorum capitum, ideóque variis modis decipit: incipit à medio, ibique primum sæpe comprehendit, postremum denique incerto aliquo & inopinato casu concludit, Sic (vt Horatius ait) Homerus Iliada disposuit.

Nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo:
Semper ad euentum festinat, & in medias res
Non secus ad notas auditorem rapit; & quæ
Desperat tractata nitescere posse, relinquit:
Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,

Primo

Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

Sic Virgil. Aeneam à Silicia excepit, & in conuiuio Carthaginis præterita narrantem fecit: postrema varijs perturbata casibus induxit. Sic comici poëtæ, tametsi magno iudicio comœdias per actus & scenas distinguunt, efficiunt tamen vt omnia fortuita videantur. Oratores verò ad victoriam omnia referunt. Itaque non tam docendi, quàm permouendi gratia firmissimum quodque primum ab ijs collocatur, dum tamen ea, quæ æquè excellent, seruentur etiam ad extremum, & Homerica dispositione mediocria in mediam turbam atque in gregem conferantur.

QVAEST. EXPLICAT.

Quid tandem sequitur?

HAEc igitur, &c.] Epilogus Methodici ordinis hactenus expositi suo subiecto & fine declaratus: cui additur OBSERVATIO de CRYPSI, id est occultatione, seu quadam anomalia & traiectione quarundam partium Methodi præcipuè in Poëtis & Oratoribus, quæ imperfecta Methodus, eáque initio duobus finibus, Declaratione & Motu proponitur; deinde quadam formæ anomalia describitur. *Crypsis.*

At vero hæc peculiaris methodi species est quæ ideo Prudentiæ nominatur.

Cùm non vniuersa Methodus inuertatur, aut immutetur (fieri enim non potest vt poëma vel oratio tota à specialibus ad generalia sursum versus progrediatur) sed initio Hysterologia quædam sit, & partes tantum quędam ob refractarium aut tardum auditorem occultentur, aut traijciantur; non potest esse Species ἀντιδιηρημένη contraria forma distincta, sed est Obseruatio de vnica Methodi forma vspiam quadam prudentia pro temporis & auditoris ratione trunca, redundante vel traiecta. Ordo igitur prudentiæ, sed non noua Methodus dicatur.

Quomodo igitur illa formæ methodicæ anomalia describitur?

Homogenea quædam reijcientur, &c.] Anomalia illa tribus modis describitur; 1. Occultatione homogeneorum, quæ tribus speciebus declaratur; 2. Assumptione heterogeneorum, *Anomalia modi.*

rum, cuius duæ ſpecies, Digreſsio, & Commoratio; 3. Traiectione naturâ antecedentium, vt conſequentibus poſtponantur.

Quid hinc infertur?

Conſectarium Collocationis cum perfectæ Methodi regula, huius alicubi imperfectæ formæ; quæ tribus notis declaratur; quod ſit Mutila, vt Enthymema; Redundans vt Proſyllogiſmus, & Inuerſa, vt Traiectio partium Syllogiſmi.

1. *Cur mutila?*

1. *Mutila.* Quia homogenea quædam reijcit & occultat, vt præcipuè Definitionum, Partitionum, & tranſitionum illa lumina: quæ perfectæ methodi ἔλλειψις eſt.

2. *Cur Redundans?*

2. *Redundans.* Quia aſſumit vſpiam heterogenea, nempe Digreſsiones à re, & in re Commorationes: quę Ariſtoteles ἐπεισόδια .i. aduentitia iucundáque acroamata. Ergo hæc non Rhetoricæ ſunt ornamenta, ſed Methodi quaſi adiumenta, nempe ἐκτροπὴ & παυτολογία auditorem afficiens.

3. *Cur Inuerſa?*

3. *Inuerſa.* Quia rerum ordo præcipuè initio inuertitur, antecedentiáque nonnulla conſequentibus poſtponuntur: quæ Methodi ὑστερολογία eſt. Sed de tota hac prudentia varia Rhetorum conſilia: quæ cùm fortuita pleraque ſint; & ad certas res accommodata, hæc generalia κατὰ παντὸς in arte ſufficiunt; cætera per exempla obſeruentur, & huc illa conſilia referantur. Vide Quintil. lib. 4. cap. 5. Cicer. Orat. 2.

Quomodo deinceps Imperfecta Methodus demonſtratur?

Exempla. Inductione exemplorum duplicium, Poëticorum, & Oratoriorum. Hi enim præcipuè huius Prudentiæ & Crypſeos auctores. Artifices enim & Philoſophi magis perſpicuè docere & explicare conantur, ideoque verum Intelligentiæ & Memoriæ ordinem conſectantur. Poëtæ magis voluptatem & gratiam, Oratores Victoriam ſpectant; ideoque quibuſcunque poſſunt inſidijs & illecebris auditorem aduerſarium, refractarium, tardum, & impa-

tientem

lientem afficiunt, mouent & delectant.

Quod primum demonstrationis genus?

Poëticum; quod primò comparatione & fine subiecti affectione declarato anteponitur, deinde quasi poeticę prudentiæ quadam forma exponitur.

Quæ illa poeticæ crypseos quasi forma?

Generatim varijs modis decipere, & particulatim, à medio incipere; ibíque primum sæpe comprehendere, & per occasionem quandam præterita narrare; denique postremum incerto aliquo & inopinato notabili tamen casu cõcludere. Vide Arist. & Horat. de arte poëtica.

An hîc prorsus aut plurimum ordo inuertitur à poetis cum delectationem spectent?

Non prorsus, supra enim dixi, non omnino Methodum à specialibus sursum versus progredi. Itaque in præstantissimis poëtis, Homero & Virgilio Hysterologia illa & peruersio non admodũ magna est; sed secundo libro terminatur, cætera deinceps directam Methodum habent.

An, igitur prorsus à medio incipiunt?

Minimè vero à medio sic vnquam incipiunt, quin proponant antea generale quippiam, vt Propositionem summæ rei explicandæ, quæ tanquam caput summo loco statuitur; cui membra media medio, infima vt pedes infimo loco annectantur: sed media illa nonnihil traijciunt, vt naturâ & tempore priora consequentibus commodè postponantur.

Da exempla:

Homerus proponit cum Inuocatione,

μῆνιν ἄειδε θεὰ πηληϊάδεω Ἀχιλῆος.

Iram pande dea Pelidæ Achillis.

Virgilius simpliciter, Arma virúmque cano, &c.

Quod hic primum poetarum exemplum?

Homeri Ilias, cuius artificium χρυσοῦν, Horatij testimonio confirmatur & explicatur. Hinc Homerus θεῖος diuinus præ cæteris ab Aristotele nominatur. Ilias.

Quomodo Horatius eius crypsin adumbrat?

Quod bellum Troianum aggressus, Constans & principio & medio & fine, non totum complexus sit; sed amputarię

tarit prima quædam & extrema, tantúmque illustria, quæ niteſcere poſſent, aſſumptis etiam externis, retinuerit, & prudenter explicauerit.

Explicato Verſus gradatim.

Nec gemino.] Primò Homogeneorum tempore primorum prætermiſsio notatur. Nec enim Ilıadem repetiunt ab vltima belli origine id eſt ab ortu Helenæ: quæ cum Polluce ex gemino Iouis & Ledæ ouo nata fingitur.

Semper.] Deinde feſtinatio ad euentum, quem ſollicitè exſpectat auditor, per traiectionem notatur, quæ eſt à medijs incipere, quæ ſunt tempore inter primam originem & finem vltimum. Vbi ſingularis prudentia, media quaſi nitidiſsima feſtinando tradere, quaſi ita ſignificetur, antecedentium luce nihil opus fuiſſe. Incipitur autem Ilias à precibus Chryſæ ſacerdotis: & ſecundo libro in Catalogo præterita comprehenduntur: duo deinceps & viginti libri gradibus temporum ordinem rectum ſequuntur.

Et quæ deſperat.] Tertiò rurſum homogeneorum, id eſt, ad rem pertinentium ellipſis attingitur. Nimis enim operoſum & moleſtum eſſet minuta quæque nec ſatis illuſtria omnia perſequi.

Atque ita.] Quartò Redundantia heterogeneorum & ἐπεισοδίων rerum extrinſecus aduentitiarum ad gratiam poëmatis aſſumptarum notatur. Hinc enim Poëta maximè dicitur, quod res veriſimiles cõfingat. Alioquin ſi Philoſophiam vel doctrinam exponat, vt Empedocles, aut Hiſtoriam, vt Lucanus; Non tam Poëta, quam Philoſophus aut Hiſtoricus nominatur.

Primo ne.] Quintò conuenientia ordinis in cognatis prætereundis, & alienis adſciſcendis, prudentérque coniungendis declaratur. Sic enim in hac miſtura Proportio ſymmetriáque corporis ſeruatur, vt quamuis poëta à medio tempore incipiat, fit tamẽ Corporis vniuerſi primum, medium, infimum: ſitque ſua ſuóque modo perfecta, perfectíque tanquam animalis forma. Imum autem & finis Iliados eſt cædes Hectoris: cætera conſequentia, vt prima antecedentia ſunt amputata; quia non ſatis illuſtria fuiſſent. Atque ita Homerus à generalibus ad ſpecialia pro-

gre-

greſſus eſt; ſed Methodo alicubi truncata, redundante & inuerſa.

Quod ſecundum exemplum?

Virgilij Æneis; cuius artificium crypticum ab ipſo Ramo breuiter adumbratur. *Aeneis.*

Quo igitur ordine & modo Aeneida diſpoſuit?

Methodum à generalibus ad ſpecialia quidem tenuit; quia initio Summam propoſuit; ſed temporis ordinē primis partibus traiectis nonnihil inuertit; homogenea quędam præterijt, heterogeneáque aſſumpſit.

Hoc planius dicas.

Propoſitæ Rei explicationem non incepit à prima origine, id eſt, excidio Troiano; ſed primum Æneam à Sicilia nauigantem deſcripſit; deinde in conuiuio Carthaginis prima illa narrantem fecit; poſtrema varijs perturbata caſibus induxit. Nam multis & varijs prælijs, & vtrinque magna cæde factis tandem Turnus ab Ænea interficitur in vltionem Pallantis: vt Hector in Iliade ab Achille in vltionem Patrocli: & hîc Æneis item clauditur.

Quod tertium?

Generale eſt de Comicis, qui Methodum etiam à generalibus ad ſpecialia ſeruant; ſed alicubi crypſi occultant. Nam Diſpoſitio Comœdiæ per Actus, & Actuum ſcenas, & ſcenarum perſonas, in progreſſu προτάσεως Propoſitionis, ἐπιτάσεως Intentionis, καταστροφῆς Conuerſionis, artificium Comici poëtæ magnum eſt: cura tamen ordinis initio inuerſi in Comico poëmate eſt, ne ordine conſequentia præuideantur: tametſi Prologus initio generale quid proponit: & Actus ſcenæque rem totam, ſi non logica partitione, certè partium comica diſtinctione diuidunt. *Comici.*

Quod ſecundum Demonſtrationis Imperfectæ Methodi genus?

Oratorium generale, quod primò fine nempe Victoria arguitur; deinde quaſi Oratoriæ prudentiæ quadam forma exponitur. *Oratorei.*

Quæ illa Oratoriæ Crypſeos forma?

Hæc collatis finibus initio illustrata tribus notis declaratur, quæ sunt: Firmissimum quóque primo loco collocare; æque excellentia ad extremum seruare; & mediocria in mediam turbam conferre. Quoties autem Oratores aperte docere volunt, Methodum plenam sequuntur; sed pro temporis & auditorum ratione quandoque insidiantur animis audiẽtium, & Voluptatem aut grauiorem aliquem motum è prudentiæ præstigijs ad peruincendos animos quærunt, sed occultius, ne iniustitia suo ipsa iudicio pereat. Itaque solam docendi speciem præ se ferunt, Epeisodiáque illa Digressionum & Cõmorationum cum Poëtis habent communia. Vide Cic. 2. Oratorio, & Quint. lib. 5. cap. 12.

Quomodo conuenit crypsis poetica cum Oratoria?

Conueniunt quidem omnibus modis; sed Oratoria sæpe turbatior est quam poëtica; quia non euidentiam docendi, sed mouendi potentiam spectat: attamen hoc ipso potentiæ argumento satis significat, non nisi à generali & Propositione, & ratione aliqua ad Hypothesin (quæ specialis quæstio est) sese descendere; nec vnquam à specialibus ascendere ad generalia.

Quid tandem ad Concludendam Methodi doctrinam dicis?

Concl. Meth.

Methodum Artis instituendæ atque informandæ, atque adeo cuiuslibet rei distinctè & perspicuè docendæ vnicam esse à generalibus ad specialia, vt semper NATVRA PRIVS PRAECEDAT: quia hæc sola vnicáque via sit ab absolutè notiorbus ad ignota declarandum: Ideóque Intelligentiæ Memoriæque mater.

Hanc enim à Natura commonstratam non modo primi patres, Plato, Aristoteles, Hippocrates & alij præstantissimi logici, vnicè approbarunt, sed Poetæ etiam, Oratores omninóque omnes auctores solam vsu diligentissim expresserunt omnésque artes tanquam clarissimam sui ordinis lucem sibi proposuerunt. Et quanquam Poëtæ & Oratores aliquando voluptati aut Victoriæ potius quam doctrinæ inseruiant; ideóque intermedias partes vspiam occultent, alienis permisceant, aut traijciant: tamen reip

cæte

cæteris partibus maioribus totóque opere progrediuntur à generalibus ad ſpecialia. Neque enim humani ingenij natura fert, vt à ſpecialibus ad generalia vlla Ars aut diſputatio longior tota progrediatur. Hic enim ordo eſt artes nondum inuentas & iudicatas Inductione & experientia obſeruandi, non Methodus artes iam inuentas & enunciatis ſyllogiſmíſque iudicatas docendi. Ergo quæ contrà ab interpretibus quibuſdam excogitata ſunt, vana & commentitia ſunt omnia, nullíſque illuſtribus exemplis demonſtrari poſſunt. Et hactenus de Artis præceptis; deinceps Chriſto aſpirante, tum Diſputationes, Comparationéſque præceptorum informabimus, tum denique vſum logicæ penè vniuerſum Analyſi & Geneſi adumbrabimus.

FINIS.

DE P. RAMO IV-

DICIVM DAVIDIS CHY-

thræi in libello de ratione Discendi.

NEmo post Philippum (quod absque inuidia & saluo cuiusque meliori iudicio dictum velim) vsum artis Dialecticæ, in disertorum Poetarũ & Oratorum scriptis rectè intelligendis & explicandis, facilius & vberius ostendit, quàm PETRVS RAMVS: *Qui etiamsi ordine præceptorum & tradendi ratione nonnihil à vulgari consuetudine in Scholis recepta discedit: tamen haud dubiè, Præceptorum quæ imprimis ad rectè iudicandum & disserendum necessaria sunt, paucitate & facilitate, Et exemplorum illustrium bonitate, copia & perspicuitate & ostensa ratione Exercendi præcepta in Analysi, seu retexendis & iudicandis aliorum Scriptis & disputationibus, & proprijs componendis multis alijs antecellit.*

I. V.

I. V.

P. RAMVS in artibus humanioribus, certis & euidentibus notis ciues Reipub. cuiúsque artis sapientissimè tum ab inquilinis tum à peregrinis discriminauit: Quorum vtrique se iam pro ciuibus gerere, populo non animaduertente atque adeò etiam applaudente, cæperant. Debemus itaque PETRO RAMO, viro doctissimo laboriosissimóque, eius, quę quò longiùs progreditur eò pluribus maioribúsque tenebris inuoluitur, ἀταξίας in Philosophia expulsionem; & ταξεως, quæ magnæ & in intelligendo perspicuitatis est in retinendo facilitatis, restitutionem.

Aliud.

Quis PETRVS RAMVS? Ανδρᾶν ἁπάντων μεθοδικὸς σοφώτατος.

Petri Martinij Nauarri.

Grammaticæ Hebrææ formam, in disponendis præceptis atque collocandis, PETRO RAMO præceptori meo lubens acceptam fero: cuius cum in cæteris artibus, tum in Grammatica conformanda iudicium & industriam grata posteritas amabit atque celebrabit.

Ioh. Thomæ Freigij.

Inuictus RAME es: nam bis duo pectora gestas,
Socratis, Euclidis, Tullij, Aristotelis.
Arte es Aristoteles: methodo Plato: Tullius ore:
Ingenio Euclides, RAME: quid VLTERIVS?

Aliud.

Μόχθους σου καὶ ἄεθλ' ἠὼς καὶ βουλύτου ὄχθαι
Καὶ νότιαι ἄλπεις οἴδασι καὶ βορέας.
Ανθ' ὧν τοῖς ἄλλοις ἐπὶ μὲν τύμβοιο κύλινδρος
Σοὶ δὲ πρέπει τέχνῃ στήλη ἐπὶ λογικῇ.

IN RAMVM ET BEVRHVSIVM,

Philip. Fab. Marcodur.

MAgnus Ariſtoteles Logico ſudauit in agro,
Præclara ingenij dans monumenta ſui.
Hanc alij rigidam docti ſubiêre paleſtram,
Dotibus ingenij quiſque talenta ferens.
Hunc quoque ſucceſsit, velut Aſteropæus, in agrum,
Prælucens Ramus lumine iudicij.
Sed quàm diſparili campo decurrit eodem,
Quiſque via, Methodus diſſona quámque fluit.
Magna ſui capiet præconia quiſque laboris;
Maxima Rameæ gloria laudis erit.
Dexter in hanc Logicæ ſi quis deſcendat arenam
Interpres, nónne eſt area digna viro?
Num ſua vecordi deprompſit mente talenta?
Par ſtudij ratio eſt, párque laboris honos.
Quæ latuere diu largos diffundit in vſus,
Pierij pandit carbaſa lata chori.
Illuſtres digito Muſarum monſtrat honores:
Exacuit Methodi iudicijque vias.
Structáque diſſoluit, connectítque arte magiſtra,
Vt conſtent numeris ſingula, cautus agit.
Perge bonas artes Beurhuſi ſpargere, perge,
Exegema ſagax aura fauoris alet.
Hic Logicus varias fætus volitabit in oras,
Aonióque gregi commoda multa feret.

LONDINI
Ex Officina Typographica
Henrici Bynneman.
CIↃ. IↃ. LXXXI.

Cum Serenissimæ Regiæ Maiestatis Priuilegio.

TABELLA BREVIS QVA DIALECTICÆ EXplicationes præcipuæ ordine Alphabetico quasi digito demonstrantur.

Numerus paginam denotat.

ACcidentia. pag. 61
Actio 52
Adiuncti definitio explicata, nomina etiam & significatio 60. vis, vsus frequens 59. 61. modi, ibid. proprij & communis distinctio 62. Proprij triplex definitio Porphyriana refutatur 62
Aduersorum definitio, nomina, vsus, 75
Affectio argumentorum 22. vis affectionis ibid. affectio in omni argumento 23. affectionum commodissima distinctio exemplis patefacta, 23. affectio mutatur 30. eius mutationis exempla. ibid. & 31
Affirmationis copulati axiomatis vis 184. connexi affirmati vis 187
Analogia Inuentionis & Iudicij 22
Analysis 10. 140
Animi vis 3. & 4
Animæ forma 48
Arguere quid 24. arguendi modi. ibid. & 25. Argumenti definitio, relatio siue affectio 22. vide affectio. genera & nomina 23. & 24. variæ appellationes 25. 26. 27. nudæ & solitariæ rationes 27. genesis è nudis argumẽtis, analysis in nuda ibid. argumentum tertium 28. argum. vnum è pluribus vocibus 28. varietas enunciandi argumenta 28. & 29. argumenti diuisiones 32. & 33. primum argum. 33. ortum à primo 106. &c. artificiale 32. Inartificiale 142. argumentorum doctrina constans 449. prima dispositio argumen. 175. 177

Argumentatio. 198. eius formæ 242
Ars quid 7. dux certior quàm natura ibid. efficientes ibid artium formandarum leges tres 9. materia, forma, finis artiũ 10. conformatio & origo artium 11. ordo artium, 249. artium partes præceptis distinctæ, vsu coniunctæ 21. 132. artium præcepta immutabilia 32
Assumptionis definitio & nomina 201
Axioma quid? 154. in axiomate duo spectanda ibid axioma malè definitur in Organo 155. vulgò propositio dicitur, sed malè, ibid. axiom. auctor quis 156. partes earumque appellationes, ibid. axiom. distributio ex partium affectione 156. axiom. contradictio 157. 158. axioma verum & falsum 158. 159. contingens & necessarium, 160. contingentis iudicij nomen & distinctio 161. Aristotelis sententia falsa de futuris contingentibus, 162. 163. distinctio necessarij axiomat. à contingente, 165. axiom. vinculum, 157. axioma necessarium affirmatum, κατὰ παντὸς, 165. eius vis ibid. καθ' αὑτὸ 166. eius vis, ibid. καθόλου πρῶτον, 167. eius vis & fructus, ibid. axiom. necessarij iudicium, 173. eius nomina maximè propria, 174. distinctio inter ἀξίωμα & βίωμα inanis est, ibid. axioma simplex, prima dispositio, 175. quæ argumenta & quomodo enunciet. ibid. simplicis exempla in partes resoluta, 177. species axiomatis 176. exempla omnium generum simplicis axiom. 177. simplicis genera, nempè generale aut speciale, 178. generalis contradictionis iudicium, 179. Specialis contradictionis iudicium, ibid. specialis genera, ibid. axioma particulare, ibid. proprium, 180. axiomatis compositi definitio, 181. nominum collatio, contradictio, genera compositi, 182. Congregatiui axiom. definitio, argumenta, diuisio, 183. copulati definitio, ibid. iudicium, 184. Relatum axioma affine copulato, ibid. relati argumenta, 185. connexi definitio, 185. nomina & significatio, 186. iudicium, 188. segregatiui defi. argumenta, 189. genera, 190. disiuncti definit. argumenta, ibid. iudicium, 193. in axiomate esse iudicium, 195
Benè, cur additur in definitione dialect.
Casus, 42. definitio casus,
Categorica propositio.
Causſæ definitio, nomina, 35. causæ locus fons scientiæ,
Dichotomia causſæ in duo genera innominata, 36. procreans conseruans,
Circulus,
Circumstantia. 60
Comparata sunt prima argumenta

12, 83. definitio, ibid. ratio arguendi, nomina, ibid. & 84. triplex proprietas comparatorum, 84. 85. dichotomia comparationis, 86
Complexio, 202. eius nomina, ibid. 128
Confessio duplex, 128
Coniugatorum definitio, nomina, 199. origo exemplis declaratur, ibid. & 110
Connexa 61
Connexum axioma 186
Consequens pars syllogismi, 202
Consentaneum quid, 33. quotuplex, ibid. diuisio absolute consentanei, 34. consentanei fructus in vnitate arguenda, 64
Consilij appellationes apud Aristotelem, 42
Contingentia, 61
Contrariorum definit. nomina, diuisio, 72. discrimen affirmantium & negantium, ibid.
Contradicentia quæ nomina, 77
contradictio inuentionis quomodo differt à iudicij contradictione ibid. contradictionis duæ species, 180
Definitionis definitio, 156. vocabuli συνώνυμα, & varia nomina ibid. quomodo arguitur definitio, 137. quotuplex, perfecta quæ, ibid. definitionis conficiendæ ratio, 137. propriæ differentiæ in definit. ratiores, 48
Deprecationis formulæ 41
Descriptio eiusque nomina 139
Deus homini finis propositus, 49
Dialectica & Logica idem, 19. Dialectica artium magistra, 8. naturalis Dialectica facultas, ibid. artificiosa vis, 8. artificiosæ ad naturalem accommodatio, 12. 13. quomodo Rami Dialectica discenda, 14
Dialecticæ definitio, 16. causæ communes, ibid. subiectum in quo, 17. subiectum dialect. circa quod, 18
Dialectica humanæ rationis effigies, 18. partitio eaque naturalis, 20. vsu & autoritate stabilita, 21
Dichotomiæ præstantia, 120. difficultas, 151
Dilemma, 242
Dictæ sapientum sunt testimonia, 147
Dictio quid, 5
Differentiæ ex dissentaneis variæ. 80
Differentia triplex in scholis, 70
Disparatorum definitio, 69. nomina, 70
Dispositio cur sic dicta, 152. eius duplex significatio, ibid. iudicij causa, ibid. memoriæ & iudicij magistra, 153
Differere quid, 19
Dissentanea sunt argumenta prima, 65. definit. ibid. nomina, proprietas, dichotomia, 66. vsus in differentijs, 80
Dissimilium definitio, affectio, discrimen à diuersis & imparibus, 104. notæ dissimilium, ibid.
Distributio quid, nomina, affectio,

118. reciprocationis nomina in distrib. 119. origo distrib. divisio, dichotomia optima distributio, 120. distributio prima, 121. ex causis, ibid. ex effectis, 126. integri in membra, 121. huius nomina & vsus multiplex, 122. Generis in species, ibid. in formas, 131
Distributio secundaria è subiectis. 133. ex adiunctis 134
Diuersorum definitio, notæ, 67
Diuinatio quid, 232
Effecti definitio, 51. nomina & significatio, vsus, 52. modi, 52. & 53
Efficientis definitio, 37. modi ibid. & 38. & c. negligens, corrumpens, 38. sola cum alijs 39. per se per accidens, 41
Ens vel res, 5
Enthymema, 203. 242
Exempla artium qualia esse debent 15. specialia exemp. 132. exempli analysis, ibid. exemplum est argumentum à specie 242
Experientia est testimonium, 128
Famæ descriptio & quibus argumentis, 139. 140. 141
Figura Aristoteli tertia est Ramo Syllogismus contractus: Secunda est prior species Explicati, prima est altera, 209. 210. 211. 220
Figurarum & modorum collatio, 215. 223
Fines tres matrimonij 50
Finis definitio, nomina, 49
Forma quid, proprietates, nomina, est differentia prædicabile Porphyrio, 47. omnibus rebus forma, 48
Fortuna quid 43. causa per accidens, 41. nomen eius ex ignoratione causarum prouenit, ibid. mons eius
Generis definitio, 126. cur eius doctrina in distributione ponitur, ibid. discrimen generis à toto integri, 127. diuisio generis, 128. origo, 129. natura & præstantia, vsus, 130
Gradatio sine climace, 43. à minoribus,
Grammatica quid docet, 12
Grammaticæ ordo, 20
Habitus prædicamentum, 6
Homo quomodo ab exitio & erroribus vindicetur, 1
Homo per locos Dialecticæ delectus, 31. hominis descriptio 138
Hypothesis, siue conditio quid, 19 Græcorum commenta hypoticis propositionibus. 1
Hypothetica propositio.
Hypotheticus syllogismus.
Identitas vnde & quot modis.
Inductio argumenti nomen.
Instrumenta in causis adiuuantibus.
Integrum totum.
Intelligentia quid, 3. eius vim cognoscendo.
Inuentio quid, eius nomina, duplex significatio. Ibid. à iudicio distinctio.
Inuentio omninò generalis argumenta nudè consideret

uersio partium syllogismi. 204
dicij definitio 151. forma, nomina, significatio 152. dichotomia 154. iudicium est fructus dispositionis. 153
siurandum est testimonium. 149
quid. 26
quæ. 6
9.165
9.166
9.167
Syllogismi 202. quot modi 203. methodi 262.
poetica. 263
udes & vituperationes vnde. 50
ges de materia artium. 9.165.166 167.&c.
x de forma artium est vnica Methodi lex. 10.243
x est testimonium, estque scripta vel non scripta. 146
cus 55. rei locatæ subiectum est 56
cus est res planè logica. 57
ci vsus. Ibid.
gica. 19
26
236
cus & lucus vnde dictus. 111
ioris definitio, affectio, vsus, nota. 92
teria impropria. 58
mbrum. 122
moria. 247
thodi definitio: notatio 243 subiectum 244. fines methodi 246. lex vnica 247. illustratio vnicæ methodi per exẽpla 250. &c. methodi 261. eiusdem exempla. 262.&c.
Minoris defi. & vsus. 95
Modorum ficta vocabula. 266
Motus & res motu facta in effectis. 52
Naturæ ad discendum adiumenta. 2
Vtrum mentibus à natura sunt notitiæ ingeneratæ. 6
Necessitatis definit. exemplum. 43
Nominum affectio & origo. 112
Nomina secundæ impositionis. 12
Nomina quomodo imposita. 113
Notationis defin. nomina. 111
Notationis significationis inuestigandæ instrumenta. 114
Obiectum in subiecto. 58
Obligatio. 128
Oppositorum explicatio. 68.&c.
Oratores, orationis partes. 257
Origo artium. 111
Ortorum argumentorum explicatio. 107.&c.
Otium causſa cibusque mali. 34
Parratio in rebus natura contrarijs. 89
Parium explicatio 86. regestio. 90
Partis definit. 119
Partium cum toto consensio inter se dissentio. 120
Passio prædicamentum. 61
P. Rami consilium. 14
Petrus Ramus Aristoteleus. 14
Principia artium. 8
Pons Asinorum. 200
Priuantis explicatio. 79.&c.
Priuationis & negationis discrimen. Ibid.
Propositio est axioma. 155
Propositio syllogismi. 201

Prosyllogismus. 203
Prouerbia. 147
Quantitas mathematici 61. Logica. 85
Qualitas prædicamentalis. 61
Qualitas logica. 99
Quando prædicamentum. 61
Quæstio quid, nomina. 198
Qualis syllogismo proposita. Ibid.
Ratiocinatio. 198
Reciprocatio in quibus. 117
Reductio syllogismorum ridicula. 227
Relatorum definit. nomina significatio 73. propietas ibid. vsus 74. consensio & dissensio 74. relatio temporis. 1 9
Relatum axioma. 184. 188
Res vel ens. 5
Sapientum dicta. 147
Scientia quottuplex. 36
Sensus animi ministri. 3
Sententiæ illustres. 147
Similium definit. 99. affectio, nota. 100
Similitudo explicata quottuplex. 101. 102
Situs prædicamentum. 57
Sorites. 242
Species quid 126. quottuplex. 128
Species prædicabile vt pro subiecto sumatur. 55
Subiecti definit. nomina sign. 55 vsus. 56
Syllogismi defin. 196. partes 197. termini, medium 199. antecedentis in syllogismo partes duæ 200. πρόσλη syllogismi 202. Genera, simplicis defin. 205. 206. &c. affectiones seu modi simplicis dichotomia secund. Ramum, trichotomia vero in Aristotelē 207. &c. contra defin. 209. exempla 210. experientiæ 211. Explicati proprietates 213. species 214. contracti & explicati primi propria 227. secundi Explicatus 228. Compositi syllog. finit. à simplici discrimen Aristotelis de Composito scripsit 230. compos. auctor nomina Ibid. Genera connex. aut disiunctus 231. connexi finn. nomina, Dichotomia, in dos duos, Ibid. secundi defin. 235. vsus frequens Disiuncti defin. modi duo, tractio 238. partes plures Disiun. secundus modus.
Tempus 61. tempo. definit. relatio. 234
Testimoniū quottuplex 143. iuinum 144. humanum ne 146. proprium.
Totius definitio.
Totum integrum cur in Distione eius doctrina docetur. totius integri & generis men 117. totius integri tio 122. huius distributio mina, vsus.
Typus caussarū & Effecti 36. sentaneorum 67. Compa rum 86. Ortorum 108. gismi simplicis.
Vbi prædicamentum.
Veri defin. & diuisio.

eritatis iudicium Enunciato solo tribuitur. Ibid.
nitas & identitas. 64
oluntas. 6
oces singulæ quomodo argumenta 28. plures voces quomodo argumentum vnum. Ibid.
Vrim & Thummim. 4
Vsus artium magister constituitur. 7
Vsus vis & efficientia. 8

πάντα δόξα θεῶ.